MONOPANTON, ID EST,

Vnum ex omnibus D. Pauli Epistolis per locos communes, seu certarum materiarum titulos, summo tum iudicio, tum diligentia digestis.

DIONYSIO RICHEL CARTHVSIANO AVTORE.



VIRTVTE DVCE, COMITE FORTVNA.

APVD SEB. GRYPHIVM LVGDVNI,
1555.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI AC

domino, D. Nicolao de Cusa, sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali, Fr. Dionysius Carthusiensis subiectionem humillimam, & quicquid seruitus & oratio poterunt peccatoris.

*

Obtemperaui & satisfeci, ut potui, præcepto, ac desiderio paternitatis tuæ piissimæ, epistolas beatissimi Pauli apostoli quasi in unã redigendo epistolam. Eaq; loca ac uerba contẽperando & commiscẽdo, quæ amplius consonare, coincidere, & concordare uidentur: talibus specialia deputando capitula, proportionatosq; titulos. Eaq; quæ in præfatis epistolis sæpius continentur, nec aliquid superaddunt sententiæ, nec specialem uim aut sensum includunt, (quæ tamen admodum pauca sunt) transiliendo. Tangendo item in margine, quibus in locis epistolarum sancti Pauli habeantur apostoli. Interdũ quoque uerba semel habita repetita sunt

breuiter: Vel propter introductionem sequentium, aut connexionẽ ad præcedentia. Seu propter elucidationem, ac fœcunditatem sententiæ. Vel pertinentiam eius ad diuersas materias. Veruntamen fateor, opus hoc paruitatis meæ excedere uires quanquam inuocato spiritus sancti auxilio ipsum aggressus sim. Sciens à sanctis patribus obedientiam præcipuè cõmendari, præsertim in religiosis: in tantum ut obedientia in ipsis etiam indiscreta laudetur. Denique hoc ipsum quod feci, tuæ præcellenti personæ, tanquam sapientiæ ac uirtutũ uiro offero emendandum, atque si opus fuerit, corrigendum. Quinimo à te ipso oportebat tantum fieri opus, nisi sublimioribus & fructuosioribus actibus occupareris: per quos es sicut oliua fructifera in ecclesia Dei plurima reformando. Quanquàm multi in se ipsis ostendant, quam ueraciter scriptum sit, Peruersi difficile corriguntur.

FINIS.

MONOPANTON DIONYSII CARTHVSIANI.

*

Salutationis forma. CAP. I.

A PAVLVS ſeruus IESV Chriſti, uocatus apoſtolus: nō ab hominibus, neq; per homi- *Rom. 1.a*
B nibus, neq; per hominem: ſed per IESVM *Gala. 1.a*
Chriſtū & Deū patrē.
C Secundum imperium Dei ſaluatoris no- *1.tim.1.a*
D ſtri IESV Chriſti. Per uoluntatem Dei *2.tim. 1.a*
ſecundum promiſsionem uitæ, quæ eſt in
E Chriſto IESV. Secundum fidem electo- *Tit.1.a*
rum Dei & agnitionē ueritatis, quæ ſecundum pietatē eſt in ſpem uitæ æternæ: quam promiſit qui nō mētitur Deus, ante tempora ſecularia: manifeſtauit autem temporibus ſuis uerbū ſuū in prædicatione, quæ credita eſt mihi ſecundum præceptum ſaluatoris noſtri Dei. Segregatus in
F Euangelium Dei, quod antè promiſerat *Rom. 1.a*
per prophetas ſuos in ſcripturis ſanctis de filio ſuo, qui factꝰ eſt ei ex ſemine Dauid

secundum carnem, qui prædestinatus est filius Dei in uirtute, secundum spiritum sanctificatiōis ex resurrectione mortuorum IESV Christi domini nostri per quem accepimus gratiam & apostolatū ad obediendum fidei in omnibus genti-
1.cor.1.a bus pro nomine eius. Sāctificatis in Christo IESV, uocatis sanctis, cum omnibus qui inuocant nomen Domini nostri IESV Christi in omni loco, ipsorum & nostro. & fidelibus omnibus. gratia uobis
Ephe.1.a
Rom 1.b & pax à Deo patre nostro, & Domino IESV Christo.

Gratiarū actio Pauli Apostoli pro donis gratiæ collatis à Deo fidelibus. CAP. II.

Rom.1.a PRimū quidē gratias ago Deo meo A per IESVM Christū pro omnibus uobis, quia fides uestra annūciatur in uni-
1.Cor.1.a uerso mūdo. Ideo gratias ago Deo meo B semper pro uobis in gratia Dei, quæ data est uobis in Christo IESV: quia in omnibus diuites facti estis in illo, in omni uerbo & in omni scientia: ita ut nihil uobis desit in ulla gratia, expectantibus reuelationem Domini nostri IESV Christi, qui & confirmabit uos usq; in finem sine crimine in die aduentus Domini nostri IE-
2.Cor.9.d SV Christi. Gratias Deo super inenarra- C bili

D bili dono eius. Propterea & ego audiens *Ephe.1.c*
fidem uestram quę est in Christo IESV,
& dilectioné in omnes sanctos, nõ cesso
gratias agens pro uobis, memoriam ue-
E stri faciens in orationibus meis. Hinc *Coloss.1.a*
gratias agimus Deo & patri domini no-
stri IESV, Christi, audiétes fidé uestram
in Christo IESV, & dilectionem quam
habetis in omnes sanctos, propter spem,
F quæ reposita est uobis in cælis. Memo- *1.The.1.b*
res operis fidei uestræ, & laboris, & cha-
ritatis, & sustinentiæ spei domini nostri
IESV Christi, ante Deum & patrem no
G strum. Gratias ergo agere debemus Deo, *2. the.1.a*
semper pro uobis: ita ut dignũ est, quo-
niam supercrescit fides uestra, & abundat
H charitas uniuscuiusque in inuicé. Idcirco *2. the.2.d*
debemus gratias agere Deo pro uobis
fratres dilecti à Deo, quòd elegerit uos
Deus primitias in salutem in sanctifica-
tione spiritus & fide ueritatis: in quam &
uocauit uos Deus per euangelium no-
strum, in acquisitione gloriæ domini no
stri IESV Christi.

De orationibus Pauli pro suis discipulis. CAP. III.

A TEstis mihi est Deus, cui seruio in *Rom.1.a*
spiritu meo in Euangelio filii eius,
a quòd

quòd ſine intermiſsione memoriam ue-
ſtri facio:ſemper in oratiōibus meis ob-
ſecrans, ſi quo modo tandem aliquan-
proſperum iter habeam in uoluntate D
ueniendi ad uos. Deſidero enim uide-
uos, ut aliquid impartiar uobis gratiæ
ſpiritalis, ad confirmandos uos: id eſt,
ſimul conſolari in uobis per eam, quæ in-
uicem eſt fidem ueſtram atque meam, ut
aliquem fructum habeam in uobis, ſi-
2.cor. 13.c cut & in cæteris gentibus. Oramus au-
tem Deum, ut nihil mali faciatis: non
ut nos probati appareamus, ſed ut uos
quod bonum eſt faciatis: nos autem ut
reprobi ſimus. Hoc & oramus, ueſtram
conſummationem. Gratia domini noſtri
IESV Chriſti, & charitas Dei, & com-
municatio ſancti ſpiritus, ſit cum omni-
Ephe. 1.c bus uobis, Amen. Deus domini noſtri
IESV Chriſti pater gloriæ, det uobis ſpi
ritum ſapientiæ, & reuelationis, in agni-
tione eius, illuminatos habere oculos
cordis ueſtri, ut ſciatis quæ ſit ſpes uoca-
tionis eius. Et quæ diuitiæ gloriæ hære-
ditatis eius in ſanctis, & quæ ſit ſuper-
eminens magnitudo uirtutis eius in nos
qui credidimus, ſecundum operationem
potentiæ uirtutis eius, quam operatus eſt
in Chriſto, ſuſcitans eum à mortuis. Hu-
ius

ius rei gratia flecto genua mea ad patrem domini nostri IESV Christi, ex quo omnis paternitas in cælis & in terra nominatur: ut det uobis secundum diuitias gloriæ suę uirtutem corroborari per spiritum eius in interiori homine, habitare Christum per fidem in cordibus uestris: in charitate fundati & radicati, ut posśitis cõprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, longitudo, & sublimitas, & profundum. Scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei. *Ephe.3.c*

E In cunctis orationibus meis pro uobis cum gaudio deprecationem facio super communicatione uestra in Euangelio CHRISTI, à prima die usq; nunc. Et hoc oro ut charitas uestra magis magisq; abundet in scientia, & in omni sensu: ut probetis potiora, & sitis synceri, & sine offensa in diem CHRISTI: repleti fructu iustitiæ per IESVM Christum, in gloriam & laudem Dei. *Phil.1.d*

F Ideo non cessamus, orantes pro uobis & postulantes: ut impleamini agnitione uoluntatis Dei, in omni sapientia, & intellectu spirituali: ut ambuletis digne Deo, per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes, & crescentes in scientia Dei, in *Coloss.1.b*

omni uirtute confirmati, cum gaudio
Phil.4.d gratias agentes Deo & patri. Deus
meus impleat omne desiderium uestrum
secundum diuitias suas in gloria, in Chri
sto IESV. Pax Dei, quæ exuberat o-
mnem sensum, custodiat corda uestra,
& intelligentias uestras in CHRISTO
1.The.3.d IESV. Ipse autem Deus, & pater noster,
& Dominus IESVS Christus dirigat
uiam nostram ad uos. Vos autem Deus
multiplicet, & abundare faciat charita-
tem uestram inuicem & in omnes,
quemadmodum & nos in uobis, ad con-
firmanda corda uestra sine querela in
sanctitate ante Deum, & patrem no-
strum in aduentu Domini nostri IESV
CHRISTI, cum omnibus sanctis eius,
1.The.5.d Amen. Ipse autem Deus pacis sancti-
ficet uos per omnia, ut integer spiri-
tus uester & anima & corpus sine que-
rela, in aduentu Domini nostri IESV
2.thes.1.d CHRISTI seruetur. Oramus sem-
per pro uobis ut dignetur uos uoca-
tione sua Deus noster, & impleat o-
mnem uoluntatem bonitatis suæ, & o-
pus fidei in uirtute: ut clarificetur no-
men domini nostri IESV Christi in uo-
bis, & uos in illo, secundum gratiā Dei
& domini nostri IESV Christi. Ipse au-
tem

I tem dominus noster IESVS Christus & 2.Th.2.d
Deus pater noster, qui dilexit nos, & dedit consolationem æternam & spem bonam in gratia, exhortetur corda uestra, & confirmet in omni tempore & sermo-
M ne bono. Et dirigat corda uestra in cha- 2.The.3.e
ritate Dei, & patientia Christi. Et Deus pacis det uobis pacem in omni loco. Det
N misericordiam Dominus Onesiphori do 2.Tim.1.d
mui, quia sæpe me refrigerauit, & catenam meam non erubuit: sed cùm Romam uenisset, solicitè me quæsiuit, & inuenit. Et quanta Ephesi ministrauerit mihi, tu melius nosti: det illi Dominus inuenire misericordiam à Domino in die
O illa. Deus autem pacis, qui eduxit de mor- Heb.13.e
tuis pastorem magnum ouium in sanguine testamenti æterni, dominum nostrum IESVM Christum, aptet uos in omni bono, ut faciatis uoluntatem eius, faciens in uobis quod placeat coram se, per IESVM Christum. Cui est gloria in secula seculorum, Amen.

De Fide. CAP. IIII.

A NOn erubesco Euangelium: uirtus Rom.1.b
enim Dei est in salutem omni credenti, Iudæo primùm & Græco. Iustitia enim Dei in eo reuelatur ex fide in fidē,

sicut

ſicut ſcriptum eſt: Iuſtus ex fide uiuit. Si-
Rom.4.c cut Abraham credidit Deo, & reputatum
eſt ei ad iuſtitiam: qui contra ſpem in
ſpem credidit, ut fieret pater multarum
gentium, ſecundum quod dictum eſt ei:
Sic erit ſemen tuum, ſicut ſtellæ cæli, & ſi-
cut arena, quæ eſt in littore maris. Et non
eſt infirmatus in fide, nec conſiderauit
corpus ſuum emortuum, cùm centum eſ-
ſet annorum, nec emortuam uuluam Sa-
ræ. In repromiſsione etiam Dei non hæ-
ſitauit diffidentia: ſed confortatus eſt in
fide, dans gloriam Deo. Et pleniſsimè
ſciens, quia quæcunq; promiſit, potens eſt
& facere. Ideo & reputatum eſt illi ad iu-
ſtitiam. Non eſt autem ſcriptum tantùm
propter ipſum, quia reputatum eſt illi ad
iuſtitiam: ſed propter nos, quibus reputa-
bitur, credentibus in eum, qui ſuſcitauit
Dominum noſtrum IESVM Chriſtum
Rom.5.a à mortuis. Iuſtificati ergo ex fide, pacem
habemus ad Deũ per IESVM Chriſtum
Dominum noſtrum. Per quem & acceſ-
ſum habemus per fidem in gratiã iſtam,
Rom.9.g in qua ſtamus. Quid ergo dicemus?
Quòd Gentes, quæ non ſectabantur iu-
ſtitiam, apprehenderunt iuſtitiam. Iuſti-
tiam autem quæ ex fide eſt. Iſraël uerò
ſectando legem iuſtitiæ, in legem iuſtitiæ
non

non peruenit. Quare? Quia non ex fide, sed quasi ex operibus. Offenderunt enim in lapidem offensionis. Sicut scriptum est: Ecce pono in Sion lapidem offensionis, & petram scandali: & omnis qui crediderit in eum, non confundetur. Finis enim legis Christus, ad iustitiam omni credenti. Moses enim scripsit: Quoniam iustitiam quæ ex lege est, qui fecerit homo uiuet in ea. Quæ autem ex fide est iustitia, dicit sic: Ne dixeris in corde tuo: Quis ascendit in cælum? Id est Christum deducere. Aut, Quis descendit in abyssum? Hoc est Christũ à mortuis reuocare. Sed quid dicit scriptura? Prope est uerbum in ore tuo & in corde tuo. Hoc est uerbum fidei, quod prædicamus: quia si confitearis in ore tuo Dominum IESVM, & in corde tuo credideris, quòd Deus illum suscitauit à mortuis, saluus eris. Corde enim creditur ad iustitiam, ore autẽ confessio fit ad salutẽ. Dicit enim scriptura: Omnis qui credit in illum nõ confundetur. Non est enim distinctio Iudæi & Græci. Nam idem Dominus omnium diues in omnes, qui inuocant illum. Omnis enim qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Quomodo ergo inuocabunt, in quem non crediderunt? Aut, quomodo credent

Rom. 10. a

D

ei, quem non audierũt? Ergo fides ex au-
Ro.14.d ditu est. Tu fidem habes? penes temet-
ipsum habe coram Deo. Qui auté discer-
nit, si manducauerit, damnatus est: quia
non ex fide. Omne autem quod non est
Heb.10.g ex fide, peccatum est. Iustus enim meus
ex fide uiuit: quòd si subtraxerit se, non
placebit animæ meæ. Nos autem non su-
mus subtractionis filii in perditionem, sed
2.Cor. 1.d fidei in acquisitionem animæ. Nam fide
2.Cor.4.c statis. Habentes eundem spiritum fidei, &
sicut scriptum est: Credidi propter quod
locutus sum. Et nos credimus, propter
2.Cor. 5.b quod & loquimur. Audientes semper,
& scientes quoniam dum sumus in cor-
pore, peregrinamur à Domino. Per fi-
dem enim ambulamus, & non per spe-
2.Cor.13.b ciem. Vos ipsos tentate, si estis in fide: ipsi
Gala.1.a uos probate. Miror, quòd sic tam citò
transferimini ab eo, qui uos uocauit in
gratiã Christi, in aliud euangelium, quod
non est aliud, nisi sunt aliqui, qui contur-
bant uos, & uolunt conuertere Euange-
lium Christi. Sed licet nos, aut Angelus
de cælo, euangelizet uobis præter quod
euangelizamus uobis, anathema sit. Si-
cut prædixi, & nunc iterum dico: Si quis
uobis euangelizauerit præter id quod ac-
cepistis, anathema sit. Modò enim homi-
nibus

nibus suadeo, an Deo? Notum enim uobis facio fratres, Euangelium, quod euangelizatum est à me: quia non est secundum hominem. Neque enim ego ab homine accepi illud, neq; didici: sed per reuelationem IESV Christi. Dei enim filius IESVS Christus, qui in uobis per nos prędicatus est, per me et Syluanum, & Timotheum, nó fuit in illo Est & Non: sed Est in illo fuit. Quotquot enim promissiones Dei, sunt in illo Est. Ideo dicimus & per ipsum Amen Deo, ad gloriam nostram. *2.Cor.1.d*

M Quòd autem nunc uiuo in càrne, *Gala. 2.d*

N in fide uiuo filii Dei. Sicut Abraham credidit Deo, & reputatum est ei ad iustitiam. Cognoscite ergo quia qui ex fide sunt, hi sunt filii Abrahæ. Præuidens autem scriptura, quia ex fide iustificat gentes Deus, pronuntiauit Abrahæ: Quia benedicentur in te omnes gentes. Igitur qui ex fide sunt, benedicentur cum fideli Abraham. Omnes filii Dei estis per fidem in Christo IESV. *Gala.3.a*

O Nos spiritu ex fide spem iustitiæ expectamus. Nam in Christo IESV neq; circuncisio ualet aliquid, neq; præputium. Sed fides quæ per dilectionem operatur. *Gala. 5.b*

P Gratia enim saluati estis per fidem, & hoc non ex uobis, Dei enim donum est, non ex operibus, ne quis glorietur. *Ephe 2.b* *Ephe.4.b*

rietur. Vnus Deus, una fides, unum baptisma. Sed non omnium est fides. Si autem non credimus, Deus fidelis permanet, negare semetipsum non potest.

2.The.3.a *2.tim.2.b*

De definitione, atque effectibus Fidei. CAP. V.

Heb.11.a Est autem Fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium. In hac enim testimonium consecuti sunt senes. Fide intelligimus aptata esse secula uerbo Dei, ut ex inuisibilibus uisibilia fierent. Fide plurimam hostiam Abel quàm Cain obtulit Deo, per quam testimonium consecutus est esse iustus, testimoniũ perhibēte muneribus eius Deo, & per illam defunctus adhuc loquitur. Fide Enoch translatus est, ne uideret mortem, & non inueniebatur, quia transtulit illum Deus. Ante translationem enim testimonium habebat, placuisse Deo. Sine fide autem impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad eum: quia est, & inquirentibus se remunerator sit. Fide Noë responso accepto de his, quæ adhuc uidebantur, metuens aptauit arcam in salutem domus suæ, per quam damnauit mundum, & iustitiæ, quæ per fidem est, hæres est institutus. Fide qui uocatur Abraham obediuit, in locum exire,

exire, quem accepturus erat in hæreditatem. Et exiit, nesciens quò iret. Fide moratus est in terra repromissionis, tanquam in aliena, in casulis habitando cum Isaac & Iacob coheredib⁹ repromissionis eiusdem. Expectabat enim fundamenta habentem ciuitatem, cuius artifex & conditor Deus. Fide & ipsa Sara sterilis, uirtutem in conceptione seminis accepit, etiam præter tempus ætatis, quoniã fidelem credidit esse, qui repromiserat. Propter quod ab uno orti sunt, & hoc emortuo, tanquam sidera cæli in multitudinem, & sicut arena quæ est ad oram maris innumerabilis. Fide obtulit Abraham Isaac cùm tentaretur: & unigenitum offerebat, in quo susceperat repromissiones: ad quem dictum est, quia in Isaac uocabitur tibi semen: arbitrans quia & à mortuis suscitare potens est Deus, unde eum & in parabolam accepit. Fide & de futuris benedixit Isaac Iacob, & Esau. Fide Iacob moriens singulos filiorum Ioseph benedixit, & adorauit fastigiũ uirgæ eius. Fide Ioseph moriens de profectione filiorum Israël memoratus est, & de ossibus suis mandauit. Fide Moses natus occultatus est mensibus tribus à parentibus suis, eo quòd uidissent elegantem infan-

tem, & non timuerunt Regis edictum. Fide Moſes grandis effectus occidit Aegyptium, conſiderans dolorem fratrum ſuorum. Fide Moſes grandis effectus negauit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis: magis eligens affigi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem: maiores diuitias æſtimans theſauro Aegyptiorum improperium Chriſti. Aſpiciebat enim in remunerationem. Fide reliquit Aegyptum, non ueritus animoſitatem Regis. Inuiſibilem enim tanquam uidens ſuſtinuit. Fide celebrauit paſcha, & ſanguinis effuſionem: ne qui uaſtabat primogenita, tangeret eos, Fide tranſierunt mare Rubrum, tanquam per aridam terram: quod experti Aegyptii deuorati ſunt. Fide muri Hiericho corruerunt, circuitu dierum ſeptem. Fide Raab meretrix non periit cum incredulis, excipiens exploratores cum pace. Et quid adhuc dicam? Deficiet me tempus enarrantem de Gedeon, Barach, Sampſon, Iepte, Dauid, Samuel, & aliis prophetis: qui per fidem uicerunt regna, operati ſunt iuſtitiam, adepti ſunt repromiſsiones, obturauerunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugauerunt aciem gladii, conualuerunt de infirmitate. Fortes facti ſunt in

bello

bello, castra uerterunt exterorum, acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos. Et hi omnes testimonio fidei probati sunt, non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis melius aliquid prouidente, ne sine nobis consummarentur.

De Spe. CAP. VI.

A SPes non confundit. Spe enim salui *Rom. 5.a*
B facti sumus. Spes autem quæ uidetur *Rom. 8.d*
non est spes. Nam quod uidet quis, quid
speret? Si autem quod non uidemus speramus, per patientiam expectamus. Spe
C gaudentes. Quæcunque enim scripta *Rom. 12.c*
D sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt *Rom. 15.a*
ut per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus. Deus autem spei repleat uos omni gaudio & pace, in credendo: ut abundetis in spe & uirtute
E Spiritus sancti. Non simus confidentes *2. Cor. 1.b*
in nobis, sed in Deo, qui suscitat mortuos.
F Fiduciam autem talem habemus per *2. Cor. 3.b*
Christum ad Deum: non quòd sufficientes simus cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Habentes igitur talem spem, multa fi-
G ducia utimur. Nam in Christo habemus *Ephe. 3.c*
fiduciam, & accessum in confidentia per

Phil.1.c fidem eius. Idcirco in omni fiducia magnificabitur Christus in corpore meo, siue per uitam, siue per mortem. Mihi enim
Colos. 1.a uiuere Christus est, et mori lucrũ. Propter spem quæ reposita est nobis in cælis, quã
Phil.3.d audistis in uerbo ueritatis Euãgelii. Vnde etiam saluatorem expectamus Dominum nostrum IESVM Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ, secundum potestatem, qua potest etiam sibi
1.Cor.9.a subiicere omnia. Quoniam debet in spe qui arat, arare: & qui triturat, in spe fru-
1.Tim.4.c ctus percipiendi. Fidelis sermo, & omni acceptione dignus. In hoc enim laboramus, & maledicimur, quia speramus in Deum uiuum, qui est saluator omnium
Heb.6.d hominum, maximè fidelium. Spem itaque sicut ancoram habemus animæ tutam & firmam, & incedentem usque ad
Heb.10.d interiora uelaminis. Habentes igitur fratres fiduciam in introitu sanctorũ in sanguine Christi, quam initiauit nobis uiam nouam & uiuentem per uelamen, id est, per carnem suam: & sacerdotem magnum super domum Dei: accedamus cum corde uero, in plenitudine fidei, aspersi corde à conscientia mala, & abluti corpus aqua munda, teneamus nostræ spei confession

fessionem indeclinabilem. Fidelis enim
P est, qui repromisit. Confidimus autem' *Hebr.13.c*
quia conscientiam habemus bonam, in
Q omnibus bene uolentes conuersari. No *Heb.10.c*
lite ergo amittere confidentiam uestram,
quæ magnam habet remunerationem.
R Adeamus itaque cum fiducia ad thro- *Hebr.4.d*
num gratiæ, ut misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno.

De Charitate. CAP. VII.

A CHaritas Dei diffusa est in cordibus *Rom.5.a*
B nostris per Spiritũ sanctum qui datus est nobis. *Rom.8.c* Scimus, quoniam diligentibus Deum omnia cooperãtur in bonũ, iis qui secundum propositum uocati sunt sancti. Quis ergo nos separabit à charitate Christi? tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculũ, an gladius? Sicut scriptum est: Quia propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oues occisionis. Sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos. Certus sum enim, quia neq; uita, neque mors, neq; angeli, neq; principatus, neque uirtutes, neq; instantia, neq; futura, neq; fortitudo, neq; altitudo, neq; profundũm, neq; creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo

Rom. 13.c IESV domino nostro. Nemini quicquã debeatis, nisi ut inuicem diligatis. Qui enim diligit proximum, legem impleuit. Nam non adulterabis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices, non cõcupisces, & si quod est aliud mandatum, in hoc uerbo instauratur: Diliges proximum tuum, sicut teipsum. Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo ergo legis est dilectio. Dilectio sine simulatione. Charitatem fraternitatis inui-
Rom. 12.c cem diligentes. Spiritu feruentes. Qui
1.Cor.6.d enim adhæret Domino, unus spiritus est.
1.Cor.8.a Si quis diligit Deum, hic cognitus est ab eo. Scientia inflat, charitas uerò ædificat.
1.Co.10.f cat. Nemo quod suum est quærat, sed
1.Co.12.d quod alterius. Adhuc excellentiorẽ uiam
1.Cor.13.a uobis demonstro. Si linguis hominum loquar, & angelorum: Charitatem autem non habeam, factus sum uelut æs sonans, aut cymbalũ tinniens. Et si habuero prophetiam, & nouerim mysteria omnia, & omnem scientiam, & habuero omnem fidem, ita ut montes transferam: charitatem autem non habeam, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meũ, ita ut ardeam: charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Charitas patiens

tiens est, benigna est. Charitas non æmu-
E latur, non agit perperam, non inflatur,
non est ambitiosa, non quærit quæ sua
sunt, non irritatur, non cogitat malum,
non gaudet super iniquitate, congaudet
autem ueritati. Omnia suffert, omnia cre
dit, omnia sperat, omnia sustinet. Chari-
tas nunquàm excidit, siue prophetiæ eua-
cuabuntur, siue linguæ cessabunt, siue
scientia destructur. Nunc autem manent
fides, spes, charitas, tria hæc, maior ho-
L rum est charitas. Sectamini charitatem. *1. Co.14.a*
M Et omnia uestra in charitate fiant. Sa- *Co.16.c*
lutate inuicem in osculo sancto. Si quis
non amat dominum nostrum IESVM
Christum, sit anathema, Maranatha. Cha
ritas mea cum omnibus uobis in Chri-
N sto IESV. Os nostrum patet ad uos, *2. Cor.6.c*
cor nostrum dilatatum est, non angustia
mini in nobis: angustiamini autem in ui-
sceribus uestris. Eandem autem haben-
tes remunerationem, tanquam filiis dico,
O dilatamini & uos. Ostensionem ergo *2. Cor.8.d*
quæ est charitatis uestræ, & uestræ glo-
riæ, pro uobis in illos ostendite in fa-
P ciem ecclesiarum. Aemulor enim uos *2. Co.11.a*
Q Dei æmulatione. Per charitatem au- *Gala.5.c*
tem seruite inuicem. Omnis enim lex
in uno sermone impletur: Diliges pro-

Ephe.5.a ximum tuum ſicut teipſum. Eſtote ergo imitatores Dei ſicut filii chariſsimi, et ambulate in dilectione: ſicut & Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem, & hoſtiã Deo in odorem
Coloſ.3.c ſuauitatis. Super omnia ergo charitatem habete, quod eſt uinculum perfectionis.
1.theſ.4.b De charitate autem fraternitatis nõ neceſſe habuimus ſcribere uobis. Ipſi enim uos à Deo didiciſtis, ut diligatis inuicem.
1.Tim.1.a Etenim facitis illud in omnes fratres. Fi- v
nis autem præcepti eſt charitas de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta, à quibus quidam aberrantes conuerſi
Heb.10.e ſunt in uaniloquium. Itaque conſidere- x
mus inuicem in prouocatione charitatis & bonorum operum, non deſerentes collectionem noſtram: ſicut eſt conſuetudinis quibuſdam, ſed conſolantes: & tanto magis quanto uideritis appropinquan-
Heb.13.a tem diem. Charitas fraternitatis maneat y
Phil.2.a uobiſcum. Non quæ ſua ſunt ſinguli z
conſiderantes, ſed ea quæ aliorum.

De Timore. CAP. VIII.

Rom.11.c NOli altum ſapere, ſed time. Si enim 4
deus naturalibus ramis non peper-
Rom.13.a cit, ne forte nec tibi parcat. Nam & prin- 5
cipes nõ ſunt timori boni operis, ſed mali. Vis autẽ non timere poteſtatẽ? Fac bonum,

num,& habebis laudem ex illa. Dei enim minister est tibi in bonū. Si autem malefeceris,time: nō enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est uindex in
C iram ei qui malum agit. Timeo autem, 2. Co.11.a
ne sicut serpens seduxit Euam astutia sua: ita corrumpantur sensus uestri, & excidāt
D à simplicitate, quæ est in Christo. Ti- 2.Co.12.g
meo enim ne forte cùm uenero, nō quales uolo inueniam uos: & ego inueniar à uobis,qualem non uultis: ne forte contentiones,æmulationes, animositates,dissensiones, detractiones, susurrationes, inflationes, seditiones sint inter uos. Ne iterum cùm uenero, humiliet me Deus apud uos, & lugeam multos ex uobis, qui antè peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam super immundicia, & fornicatione,& impudicitia, quā gesserunt.
E Timeo uos, ne sine causa laborauerim Gal.4.b
F in uobis. Itaque charissimi cum metu, Phil.2.b
& timore, & tremore uestram salutem
G operamini. Nam & ego in infirmitate 1. Cor.2.a
& timore & tremore multo apud uos
H fui. Timeamus ergo, ne forte relicta pol- Heb.4.a
licitatione introeundi in requiem Dei, existimetur aliquis ex uobis deesse. Etenim & nobis annunciatum est, quemad-
I modum & illis. Voluntarie enim pec- Heb.10.e

cantibus nobis post acceptam notitiã ueritatis, iam non relinquitur pro peccatis hostia. Irritam enim quis faciens legem Moysi, sine ulla contradictione duob aut tribus testibus moritur: quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcauerit, & sanguinem testaméti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit? Horrédum est incidere in manus Dei uiuentis. Itaque seruiamus Deo cum metu & reuerentia. Subiecti inuicem in timore Dei.

Ephe. 5.c

De Humilitate, & contra Superbiam. CAP. IX.

Rom. 12. a

Dico enim per gratiam, quæ data est mihi, omnibus qui sunt inter uos: non plus sapere quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem. Honore inuicem præuenientes. Non alta sapientes, sed humilibus consentientes. Nolite esse prudentes apud uosmetipsos. Non uosmetipsos defendentes charissimi, sed date locum iræ. Non efficiamini inanis gloriæ cupidi, inuicem prouocantes, inuicem inuidentes. Nihil per contentionem neque per inané gloriam: sed in humilitate superiores inuicem sibi arbitrantes. Hoc enim sentite in uobis, quod & in Christo IESU, qui

Gala. 5.c

Phili. 2.a

qui ſemetipſum exinaniuit,formam ſerui
D accipiens. Nam ſi quis exiſtimat ſe ali- *Gal.6.A*
quid eſſe, cùm nihil ſit, ipſe ſe ſeducit.
E Scientia inflat. Si quis autem exiſtimat *1.Cor.8.A*
ſe ſcire aliquid,nondum cognouit quem-
F admodũ oporteat eum ſcire. Si quis ali- *1.tim.6.A*
ter docet, & nõ acquieſcit ſanis ſermoni-
bus domini noſtri IESV Chriſti, & ei
quæ ſecundum pietatem eſt doctrinæ:ſu-
perbus eſt,nihil ſciens:ſed languens circa
quæſtiones,& pugnas uerborum: ex qui-
bus oriuntur inuidiæ, contentiones, blaſ-
phemiæ, ſuſpiciones malæ, conflictatio-
nes hominum mente corruptorum:& qui
ueritate priuati ſunt,exiſtimantium quæ-
G ſtum eſſe pietatem. Tanquàm non uen- *1. Cor.4.d*
turus ſim ad uos, ſic inflati ſunt quidam.
Veniam autem ad uos cito, (ſi dominus
uoluerit) & cognoſcam non ſermonem
eorũ qui inflati ſunt,ſed uirtutẽ.Nõ enim
in ſermone eſt regnũ Dei.ſed in uirtute.

De Patiẽtia & Tribulationibus iuſtorum,ac electorum. CAP.X.

A GLoriamur in tribulationibus, ſcien- *Rom.5.A*
tes,quòd tribulatio patientiam ope
ratur: patientia autem probationem,pro-
B batio uero ſpem. Benedicite perſequen- *Rom. 12.c*
tibus uos,benedicite,& nolite maledicere:
nulli malũ pro malo reddentes. Scriptum
eſt

est enim: Mihi uindictã, & ego retribuam, dicit dominus: Noli uinci à malo, sed uince in bono malum. Maledicimur, & benedicimus: persecutionem patimur, & sustinemus: blasphemamur & obsecramus: tanquam purgamenta huius mundi facti sumus, omnium peripsema usque adhuc.

1. Cor. 4. c

In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur. Aporiamur, sed non destituimur. Persecutionem patimur, sed non derelinquimur. Deiicimur, sed non perimus: semper mortificationem IESV Christi in corpore nostro circumferentes, ut & uita IESV in corporibus nostris manifestetur. Semper enim nos, qui uiuimus, in mortem tradimur propter IESVM, ut & uita IESV manifestetur in carne nostra mortali. Ergo mors operatur in nobis, uita autem in uobis. Itaque in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, per gloriam, & ignobilitatem, per infamiam: & bonam famam, ut seductores, & ueraces: sicut qui ignoti, & cogniti: quasi morientes, & ecce uiuimus: ut castigati, & non mortificati: quasi tristes, semper autem gaudentes: sicut egentes,

2. Cor. 4. b

2. Cor. 6. a

tes, multos autem locupletantes: tanquàm nihil habentes, & omnia posſidentes.
F Propter quod obſecro uos, ne deficiatis in tribulationibus meis pro uobis, quæ *Ephe. 3.c*
G eſt gloria noſtra. Et uos imitatores noſtri facti eſtis, & domini, excipientes uerbum in tribulatione multa, cum gaudio ſpiritusſancti: ut facti ſitis forma omnibus credentibus in Macedonia, & Achaia. A uobis enim diffamatus eſt ſermo domini, non ſolum in Macedonia, & *1. theſ. 1.c*
H Achaia, ſed in omni loco. Et hoc à Deo, quia uobis donatum eſt pro Chriſto, non ſolùm ut credatis in eum: ſed etiam ut patiamini pro illo: idem certamen habentes, quale & uidiſtis in me, & nunc *Phil. 1.d*
I audiſtis de me. Libenter enim ſuffertis inſipientes, cùm ſitis ipſi ſapientes. Suſtinetis enim, ſi quis uos in ſeruitutem redigit, ſi quis deuorat, ſi quis accipit, ſi quis extollitur, ſi quis in faciem uos cædit. *2. Cor. 11.e*
K Nam & ipſi ſcitis introitum noſtrum ad uos, qui non inanis fuit, ſed antè paſsi multa, & contumeliis affecti (ſicut ſcitis) in Philippis. Fiduciam habuimus in Deo noſtro loqui ad uos Euangelium Dei in multa ſolicitudine. Memores enim eſtis fratres laboris noſtri & fatigationis, nocte & die laborantes, ne quem ueſtrum *1. theſ. 2.a*

grauar

grauaremus, prædicauimus in uobis euan
gelium Dei. Vos autem imitatores facti
estis ecclesiarum Dei quæ sunt in Iudæa:
quia eadē passi estis uos à contribulibus
uestris, sicut & ipsi à Iudæis: qui & domi-
num occiderunt, & prophetas & nos per
1. thes.3.b secuti sunt. Nam & cum apud uos esse-
mus, prædicebamus passuros nos tribu-
1. thes.5.c tiones, sicut & factum est, & scitis. Patien-
tes ergo estote ad omnes. Videte ne quis
malum pro malo alicui reddat. Sed sem-
per quod bonum est, sectamini inuicem
2. Tim.3.c & in omnes. Omnes qui uolunt in Chri-
sto pie uiuere, persecutionem patientur.
Heb.10.f Rememoramini autem pristinos dies,
in quibus illuminati magnum certamen
sustinuistis passionum. Et in altero quidem
opprobriis, & tribulationibus spectaculi
facti: in altero autem socii taliter conuer-
santium effecti. Nam & uinctis compati
estis, & rapinā bonorum uestrorum cum
gaudio suscepistis: cognoscentes uos ha-
bere meliorem & manentem substantiam.
2. thes.1.b Ita, ut & nos ipsi in uobis gloriemur in
ecclesiis Dei pro patientia uestra, & fide
in omnibus persecutionibus, & tribula-
tionibus uestris, quas sustinetis in exem-
plum iusti iudicii Dei: ut digni habeami-
Heb.10.g ni in regno Dei, pro quo & patimini. Pa-
tientia

tientia enim uobis necessaria est, ut uo-
luntatem Dei facientes reportetis repro-
R missionem. Alii autem distenti sunt, non *Heb. 11.*
suscipientes redemptionem, ut meliorem
inuenirent resurrectionem. Alii uerò lu-
dibria & uerbera experti sunt, insuper &
uincula, & carceres: lapidati sunt, secti
sunt, tētati sunt, in occasione gladii mor-
tui sunt. Circuierunt in melotis, in pelli-
bus caprinis egentes, angustiati, afflicti:
quibus dignus non erat mundus. In soli-
tudinibus errantes, in mōtibus, & spelun-
S cis, & in cauernis terræ. Ideoq; & nos tan *Heb. 12.*
tam habentes impositam nobis nubem
testium, deponentes omne pondus, & cir-
cunstans nos peccatum, per patientiam
curramus ad propositū nobis certamen,
aspicientes in autorem fidei, & consum-
matorē IESVM: qui proposito sibi gau-
dio, sustinuit crucē confusione contēpta,
atq; in dextera Dei sedet. Recogitate eū,
qui talē sustinuit à peccatoribus aduersus
semetipsum contradictionē: ut non fati-
gemini, animis uestris deficiētes. Nondū
enim usq; ad sanguinē restitistis aduersus
peccatū repugnātes. Et obliti estis conso-
lationis, quæ uobis tanquā filiis loquitur
dicens: Fili mi noli negligere disciplinā
domini, neq; fatigeris dum ab eo argue-
ris.

ris. Quem enim diligit dominus, castigat: flagellat autem omnem filium quem recipit. In disciplina domini perseuerate, tanquàm filiis uobis se offert Deus. Quis enim filius, quem non corripit pater? Quòd si extra disciplinam estis, cuius participes facti sunt omnes: ergo adulteri & non filii estis. Exeamus igitur ad IESVM extra castra, improperium eius portantes. Puto enim, quòd Deus nos apostolos nouissimos ostēdit tanquàm morti destinatos. Quia spectaculum facti sumus mundo, & angelis, & hominibus. Nos stulti propter Christū, uos autē prudentes in Christo. Nos infirmi, uos autē fortes. Vos nobiles, nos autem ignobiles. Vsque ad hanc horam & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, & instabiles sumus, & laboramus operantes manibus nostris. Non enim uolumus ignorare uos fratres, de tribulatione nostra, quæ facta est in Asia: quoniam super modum grauati sumus supra uirtutem, ita ut tæderet nos etiam uiuere: sed & ipsi in nobismetipsis responsum mortis habuimus: ut simus confidentes in Deo. Nam & cùm uenissemus in Macedoniam, nullam requiem habuit caro nostra: sed omnem tribulationem

Hebr.13.c

1. Cor.4.b

2.Cor.1.b

2. Cor.7.b

tionem paſsi ſumus, foris pugnæ,& intus timores.

De Iuſtitia. CAP. XI.

A Reddite ergo omnibus debita. Cui tributum, tributum: cui uectigal, uectigal:cui timorem,timorem: cui honorem,honorem. Nemini quicquam de- *Rom. 13.b*
B beatis, niſi ut inuicem diligatis. Probauerunt autem Macedonia & Achaia collationem aliquam facere in pauperes ſanctorum,qui ſunt in Hieruſalem. Placuit enim eis,& debitores ſunt eorum.Nam ſi ſpiritualium eorum participes facti ſunt gentiles,debēt & in carnalibus miniſtrare eis. Vnuſquiſq;, in qua uocatione uo- *Rom.15.f*
C catus eſt,in ea permaneat.Seruus uocatus es, non ſit tibi curæ. Sed & ſi potes liber fieri,magis utere. Qui enim in Domino uocatus eſt ſeruus, libertus eſt domini.Similiter & qui liber uocatus eſt, ſeruus eſt Chriſti.Pretio empti eſtis,nolite fieri ſerui hominum.Vnuſquiſq; in quo uocatus eſt, in hoc permaneat apud Deum. Ne- *1.Cor.7.d*
D mo enim noſtrū ſibi uiuit, & nemo ſibi moritur.Siue enim uiuimus,domino uiuimus:ſiue morimur,domino morimur. Siue ergo uiuim⁹,ſiue morimur, domini ſumus. In hoc eīn Chriſtus mortuus eſt, *Ro.14.b*

& resurrexit, ut & uiuorum & mortuorum dominetur. Ideo unumquenq; sicut uocauit Deus, ita ambulet: & sicut in omnibus ecclesiis doceo. Circuncisus aliquis uocatus est, non adducat præputium. In præputio aliquis uocatus est, non circuncidatur. Circuncisio enim nihil est, & præputium nihil est: sed obseruatio mandatorũ Dei.

1. Cor. 7. c

1. Cor. 9. a

Mea defensio apud eos qui me interrogant, hæc est: Nunquid non habemus potestatem manducandi & bibendi? Nunquid non habemus potestatem, sororem mulierem circunducendi: sicut & cæteri apostoli, & fratres domini & Cephas? Aut ego solus & Barnabas non habemus potestatem hoc operandi? Quis militat suis stipẽdiis unquam? Quis plantat uineam, & de fructu eius nõ edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat? Nunquid secundum hominem hæc dico? An & lex hoc non dicit? Scriptum est enim in lege Mosi: Non alligabis os boui trituranti. Nunquid de bobus cura est Deo? An non propter nos hæc dicit? Nam propter nos hæc utique scripta sunt. Si nos uobis spiritualia seminauimus, magnum est, si carnalia uestra metamus? Si alii potestatis uestræ participes sunt, quare non potius nos? Sed non

uti

usi sumus hac potestate, sed omnia sustinemus, ne quod offendiculum demus Euangelio CHRISTI. Nescitis, quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edunt: & qui altario deseruiunt, cum altario participant? Ita & dominus ordinauit, ut qui Euangelium annuntiant, de Euangelio uiuere. Ego autem nullo horum usus sum. Non autem scripsi hæc, ut ita fiant in me. Bonũ enim est mihi magis mori, quàm ut gloriam meam quis euacuet. Nam si euãgelizauero non est mihi gloria, necessitas enim mihi incumbit. Væ enim mihi est si nõ euangelizauero. Si autem uolens id facio, mercedem habeo. Si autẽ inuitus, dispensatio mihi credita est. Quæ est ergo merces mea? Vt Euangelium prædicans, sine sumptu ponam Euangelium. Vt non abutar potestate mea in Euangelio.

G Nolite iugum ducere cum infidelibus. *2.Cor. 6.c* Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conuentio Christi ad Belial? Aut quæ pars fideli cum infideli? Quis autem consensus templo Dei cum idolis? Vos enim estis templum Dei uiui, sicut dicit Dominus: Quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo, & ero

illorum Deus, & ipſi erunt mihi popu-
lus. Propter quod exite de medio eorum,
& ſeparamini, dicit dominus. Et immun-
dum ne tetigeritis, & ego recipiam uo
Et ero uobis in patrē, & uos eritis mi
in filios, & filias, dicit dominus omnipo
2. Cor. 9. b tens. Hoc autem dico: Qui parce ſemi-
nat, parce & metet: & qui ſeminat in be-
nedictiōibus, de benedictionibus & me-
tet. Vnuſquiſque prout deſtinauit in cor-
de ſuo, nō ex triſtitia, aut neceſsitate. Hi-
2. Cor. 8. b larem enim datorē diligit Deus. Si enim
uoluntas prompta eſt, ſecundum id quod
habet accepta eſt: non ſecundum id quod
non habet. Nō enim ut aliis ſit remiſsio,
uobis autem tribulatio: ſed ex æqualita-
te in præſenti tempore, ueſtra abūdantia
illorum inopiam ſuppleat: ut & illorum
abundantia ueſtræ inopiæ ſit ſupplemen-
tum, ut fiat æqualitas. Sicut ſcriptum eſt:
Qui multum habuit non abundauit, &
2. cor. 13. d qui modicum, non minorauit. Ideo hæc
abſens ſcribo, ut nō præſens durius agam
ſecundum poteſtatem, quam dedit mihi
dominus in ædificationem, & non in de-
ſtructionem. Non poſſumus aliquid ad-
uerſus ueritatem, ſed pro ueritate. Prædi-
xi enim & prædico, ut abſens, & nūc præ-
ſens his qui antè peccauerunt, & cæteris
omnib

omnibus:quoniam ſi uenero iterum,non
parcam. An experimentum quæritis eius,
L qui in me loquitur CHRISTI? Opus *Gal.6.a*
autem ſuum probet unuſquiſque, & ſic in
ſemetipſo tantum gloriam habebit, &
non in altero. Vnuſquiſque enim onus
ſuum portabit. Nolite errare, Deus non
irridetur: quæ enim ſeminauerit homo,
hæc & metet. Quoniam qui ſeminat in
carne ſua, de carne & metet corruptio-
nem. Qui autem ſeminat in ſpiritu, de
M ſpiritu & metet uitam æternam. Nolite *Ephe.5.b*
N participes effici ipſorum. Et ne quis ſu- *1.the.4.b*
pergrediatur, neque circunueniat in ne-
gotio fratrem ſuum,quoniam uindex eſt
dominus de omnibus his. Sicut prædixi-
O mus uobis,& teſtificati ſumus. Qui enim *Coloſſ.3.d*
iniuriam facit, recipiet id quod iniquè
P geſsit. Si quis autem ſuorum & maxi- *1.Ti.5.b*
mè domeſticorum curam non habet: fi-
Q dem negauit,& infideli deterior eſt. Ne- *2.Ti.2.a*
mo militans Deo,implicat ſe negotiis ſe-
cularibus, ut ei placeat cui ſe probauit.
Nam & qui certat in agone, non coro-
nabitur,niſi legitimè certauerit. Laboran
tem agricolam oportet primum de fru-
ctibus percipere. Fidelis ſermo: Nam ſi
commortui ſumus,& conuiuemus. Si ſu-
ſtinemus,& congregabimus. Si negaue-

rimus, & ille negabit nos. Solicitè au-
tem cura teipsum probabilem exhibere
Deo, operarium incõfusibilem, rectè tra-
Tit.3.b ctantem uerbum ueritatis. Fidelis ser-
mo. Et de his uolo te confirmare, ut c-
rent bonis operibus præesse, qui credunt
Deo. Hæreticum hominem post unam
& secundam correptionem deuita, sciens
quia subuersus est, qui huiusmodi est. Et
delinquit proprio iudicio condemnatus.
Hebr.6.a Impossibile est enim eos qui semel sunt S
illuminati, gustauerũt etiam donum cœ-
leste, & participes facti sunt Spiritus san-
cti, gustauerunt nihilominus bonum Dei
uerbum, uirtutesq; seculi futuri, & pro-
lapsi sunt: rursus renouari ad pœniten-
tiam, rursus crucifigentes sibimetipsis fi-
lium Dei, & ostentui habentes. Terra
enim sæpe uenientem super se bibens im-
brem, & generans herbam opportunam
illis à quibus colitur, accipit benedictio-
nem à Deo: proferens autem spinas &
tribulos, reproba est, & maledicto proxi-
ma. Cuius finis consummatio in combu-
Heb.12.d stionem. Propter quod remissas manus, T
& soluta genua erigite, & gressus rectos
facite pedibus uestris, ut non claudicans
Rom.6.c quis erret, magis autem sanetur. Libe- V
rati autem à peccato, serui facti estis iu-
stitiæ.

ſtitiæ. Cùm enim ſerui eſſetis peccati, li-
beri fuiſtis iuſtitiæ.

De prudentia & uitio Imprudentiæ. CAP. XII.

A QVi ſecundum carnem ſunt, quæ *Rom.8.a*
carnis ſunt ſapiunt: qui uerò ſe-
cundum ſpiritum, quæ ſunt ſpiritus ſen-
tiunt. Nam prudentia carnis mors eſt.
Prudentia autem ſpiritus uita,& pax. Sa-
pientia carnis inimica eſt Deo:legi enim
Dei non eſt ſubiecta, nec enim poteſt.
B Animalis autem homo non percipit ea *1.Cor. 2.d*
quæ ſunt ſpiritus Dei: ſtultitia enim eſt
illi. Et non poteſt intelligere, quia ſpiri-
tualiter examinatur.Spiritualis autem iu-
dicat omnia, & ipſe à nemine iudicatur.
C Itaque qui ſe exiſtimat ſtare, uideat ne ca *1.cor.10.c*
D dat. Laudo autem uos fratres, quòd per *1.cor.11.a*
E omnia mei memores eſtis.Omnia autem *1.co. 14.g*
honeſtè, & ſecundum ordinem fiant in
F uobis. Et rationabile obſequium ueſtrũ. *Rom.12.a*
G An non cognoſcitis uoſmetipſos, quia *2.cor.13.b*
IESVS Chriſtus in uobis eſt? niſi forte
reprobi ſitis. Spero autem quòd cogno-
H ſcetis,quia nos non ſumus reprobi. Vide- *Gal.6.c*
te qualibus literis ſcripſi uobis mea ma-
I nu. Videte itaque fratres quomodo cau- *Ephe.5.d*
K tè ambuletis, non quaſi inſipientes: ſed.

quasi sapientes, redimentes tempus: quoniam dies mali sunt. Propterea nolite fieri imprudentes, sed intelligentes quæ sit
Coloss. 2. b uoluntas Dei. Videte ne quis uos decipiat per inanem philosophiam, & inanem fallaciam, secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, & non secundum Christum. Nemo uos seducat uolens in humilitate & religione angelorum quę non uidit ambulãs, frustra inflatus sensu carnis suæ, & non tenens caput, ex quo totũ corpus per nexus & coniunctiones subministratũ & constructũ crescit in augmẽtum Dei. Si mortui estis cum Christo, ab elementis huius mundi, quid adhuc tanquam uiuentes in mundo decernitis? Ne tetigeritis, neq; gustaueritis, neq; contrectaueritis, quæ sunt omnia in interitu ipso usu, secundum præcepta & doctrinas hominum: quæ sunt rationem quidem habentia sapientiæ, in superstitione & humilitate, & non ad parcendum corpori, non in honore aliquo ad
Colos. 4. a saturitatem carnis. In sapientia ambulate ad eos qui foris sunt, tempus redimentes. Sermo uester semper in gratia sale sit condîtus, ut sciatis quomodo uos oportet unicuique respondere. Quæ circa me sunt, omnia uobis nota faciet Tychicus

char

charißimus frater & fidelis minister & conseruus in Domino: quem misi ad uos in hoc ipsum, ut cognoscat quæ circa nos sunt, & cōsoletur corda uestra, cum Onesimo charißimo et fideli fratre, qui est ex uobis, qui omnia quæ hîc aguntur nota faciēt uobis. Et cùm lecta fuerit apud uos epistola hæc, facite ut in Laodicensium ecclesia legatur. Et eam, quæ Laodicensium est, uos legatis. Et dicite Archippo: Vide ministerium quod accepisti in domino, ut illud impleas. Memores estote

N uinculorum meorum. Et misimus Timotheum fratrem nostrum, & ministrū Dei in Euangelio Christi, ad confirmandos uos, & exhortandos pro fide nostra. Propterea & ego amplius non sustinens, misi ad cognoscendam fidem uestrā: ne forte tentauerit uos is qui tentat, & inanis fiat labor noster. Nunc autem ueniēte Timotheo ad nos à uobis, & annuntiante nobis fidem & charitatem uestrā, & quia memoriam nostri habeatis bonam, semper desiderātes nos uidere, sicut nos quoque uos: ideo consolati sumus in uobis, in omni necessitate & tribulatione nostra per uestram fidem. Quoniā nunc *1.thes.3.a*

O uiuimus, si uos statis in domino. O Timothee depositum custodi, deuitās pro- *1.tim.6.d*

phanas uocum nouitates, & oppositiones falsi nominis scientię, quam quidam pro-
1.tim. 1.d mittentes circa fidem exciderunt. Formam habe sanorum uerborum quæ à me audisti, in fide & dilectione in Christo
Ibidem. IESV. Bonum depositum custodi per spiritum sanctum, qui habitat in nobis. Et quæ à me audisti per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere. Intellige quæ dico. Dabit enim tibi Dominus in
2.tim. 3.d omnibus intellectum. Mali autem homines, & seductores, proficient in peius: errantes, & in errorem mittentes. Tu uerò permane in his quæ didicisti, & credita sunt tibi: sciens à quo didiceris. Et quia ab infantia sacras literas nosti, quæ te possunt instruere ad salutem, per fidem quæ est in Christo IESV.
Hebr. 3.a Vnde fratres sancti uocationis cœlestis participes, considerate apostolum & pontificem cõfessionis nostræ IESVM. Videte fratres, ne forte sit in aliquo uestrũ cor malum incredulitatis discedendi à Deo uiuo, sed adhortamini uosmetipsos per singulos dies, donec hodie cognominatur, ut non obduretur quis ex uobis fal-
Ephe. 5.b lacia peccati. Nemo uos seducat inani-
Ro. 12.d bus uerbis. Prouidétes bona non tantùm

coram

coram Deo, ſed etiã coram omnibus hominibus.

De ſapiẽtia, & Inſipiẽtiæ culpa.

CAPVT XIII.

A INuiſibilia Dei à creatura mundi, per ea quę facta ſunt intellecta cõſpiciuntur. Sempiterna quoq; eius uirtus & diuinitas. Dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti *Rom.1.e*
B ſunt. Sed uolo uos ſapientes eſſe in bo- *Rom.16.c*
C no, & ſimplices in malo. Non enim mi- *1.Cor. 1.e*
ſit me Chriſtus baptizare, ſed euãgelizare: non in ſapientia uerbi, ut non euacuetur Crux Chriſti. Verbũ enim crucis pereuntibus quidẽ ſtultitia eſt: iis autem qui ſalui fiũt, id eſt, nobis, uirtus Dei eſt. Scriptum eſt enim: Perdam ſapientiam ſapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. Vbi ſapiens? ubi Scriba? ubi Inquiſitor huius ſeculi? Non'ne ſtultam fecit Deus ſcientiam huius mundi? Nam quia in Dei ſapiẽtia, non cognouit mundus per ſapientiam Deũ, placuit Deo per ſtultitiã prædicationis ſaluos facere credentes: Quoniam & Iudæi ſigna petunt, & Græci ſapientiam quærũt. Nos autem prædicamus Chriſtum crucifixũ, Iudæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam. Ipſis autem uocatis Iudæis atque Gentibus Chriſtum Dei uirtutem & Dei

ſapient

ſapientiam. Quia quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt hominibus, & quod infirmius eſt Dei, fortius eſt hominibus. Ex ipſo autẽ uos eſtis in Chriſto IESV, qui factus eſt nobis ſapientia à Deo, & iuſtitia, & ſanctificatio, & redẽptio, ut quemadmodum ſcriptum eſt: Qui gloriatur,

1. Cor. 2. b in Domino glorietur. Sapientiam autem loquimur inter perfectos: Sapiẽtiam autem non huius ſeculi, neque Principum huius ſeculi, qui deſtruuntur: Sed loquimur Dei ſapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt, quam prædeſtinauit Deus ante ſecula in gloriam noſtram, quam nemo Principum huius ſeculi cognouit. Si enim cognouiſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent. Nobis autem reuelauit Deus per ſpiritum ſuum. Spiritus enim omnia ſcrutatur, etiã profunda Dei. Quis enim hominũ ſcit quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui eſt in ipſo? Ita & quæ ſunt Dei, nemo cognouit, niſi ſpiritus Dei. Nos autem non ſpiritum huius mundi accepimus, ſed ſpiritum qui ex Deo eſt: ut ſciamus quę à Deo donata ſunt nobis, quæ & loquimur, non in doctis humanæ ſapientiæ uerbis: ſed in doctrina ſpiritus, ſpiritualibus ſpiritualia comparantes. Quis enim cognouit ſenſum

ſum Domini,aut quis inſtruxit eum?Nos
E autem ſpiritum Chriſti habemus. Si quis *1.Cor.3.d*
uidetur inter uos ſapiens eſſe in hoc ſe-
culo, ſtultus fiat, ut ſit ſapiens. Sapientia
enim huius mundi,ſtultitia eſt apud Deũ.
Scriptum eſt enim: Comprehendam ſa-
pientes in aſtutia eorum.Et iterum: Deus
nouit cogitationes ſapientium, quoniam
F uanæ ſunt. Si quis autem ignorat, igno- *1.co.14.g*
G rabitur. Nos uerò omnes reuelata facie *2.Cor. 3.d*
gloriam Domini ſpeculantes in eandem
imaginem transformamur, à claritate in
claritatem: tanquam à Domini ſpiritu.
H Quoniam Deus qui dixit de tenebris lu- *2.Cor.4.b*
men ſplendeſcere, illuxit in cordibus no-
ſtris ad illuminationem ſcientiæ clarita-
tis Dei in facië IESVS Chriſti. Habemus
autem theſaurum iſtum in uaſis fictilibus,
ut ſublimitas ſit uirtutis Dei, & non ex
nobis. Propter quod non deficimus, ſed
licet is qui foris eſt noſter homo corrum
patur: tamen is qui intus eſt renouatur
de die in diem,non contemplantibus no-
bis quæ uidentur, ſed quæ non uidentur.
Quæ enim uidentur, temporalia ſunt,
quæ autem non uidentur, æterna ſunt.
I Itaque nos ex hoc neminem nouimus *2.Cor. 5.c*
ſecundum carnem. Et ſi cognouimus ſe-
cundum carnem Chriſtum, ſed nunc iam
non

Ephe.1.b non nouimus. Gratia enim Dei super-abundauit in nobis in omni sapientia & prudentia, ut notum faceret nobis sacramentum uoluntatis suæ, secundum beneplacitum eius quod proposuit in eo in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo, quæ in cælis & quæ in terris sunt in ipso. *Ephe.3.a* Huius rei gratia ego Paulus uinctus IESV Christi pro uobis Gentibus. Si tamen audistis dispensationem gratiæ Dei, quæ data est mihi in uobis: Quoniam secundum reuelationem notum mihi factum est sacramentum, prout potestis legentes intelligere prudentiam meam in ministerio Christi: quod aliis generationibus non est agnitum filiis hominum, sicut nunc reuelatum est sanctis Apostolis eius & Prophetis in spiritu, Gentes esse cohæredes, & concorporales, & comparticipes promissionis in Christo IESV per Euangelium, cuius factus sum ego minister secundum donum gratiæ Dei, quæ data est mihi secundum operationem uirtutis eius. Mihi enim omnium sanctorum minimo, data est gratia hæc, in Gentibus euangelizare inuestigabiles diuitias Christi, & illuminare omnes, quæ sit dispensatio sacramenti absconditi à seculis in Deo, qui

omnia

omnia creauit: ut innotescat Principibus & potestatibus in cælestibus per ecclesiam multiformis sapientia Dei, secundum præfinitionem seculorum, quam fecit in Chri
M sto IESV Domino nostro. Veruntamen *Phili. 3.b*
existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Domini no-
N stri IESV Christi. Cuius Euangelium *Col. 1.c*
prædicatum est in uniuersa creatura, quæ sub cælo est: cuius factus sum ego minister secundum dispensationem Dei, quæ data est mihi in uobis, ut impleam uerbum Dei, mysterium quod absconditum fuit à seculis, & à generationibus. Nunc autem manifestatū est sanctis eius quibus uoluit Deus notas facere diuitias gloriæ sacraméti huius in Gétibus, quod est Christus in uobis spes gloriæ, quem nos uobis annuntiamus: corripiétes omnē hominē, & docentes omnem hominē, in omni sapiétia: ut exhibeamus omnem hominem perfectū in Christo IESV: in quo & laboro, certādo secundum operationē eius
O quā operatur in me in uirtute. Vt conso- *Col. 2.a*
lentur instructi in charitate, & in omnes diuitias plenitudinis intellectus in agnitione mysterii Dei patris, & Domini nostri IESV Christi. Hoc autē dico, ut nemo uos decipiat in sublimitate sermonū.

Nam

Nam & ſi corpore abſens ſum; ſed ſpiritu
uobiſcum ſum: gaudens & uidens ordi-
nem ueſtrum, & firmamentum eius qu
Coloſ.3.c in Chriſto eſt fidei ueſtræ. Verbum C
ſti habitet in uobis abundanter in o
2.tim.2.c ſapientia. Prophana autem & uaniloq
deuita. Multùm enim proficiunt ad im
pietatem. Et ſermo illorum ut cancer ſ
pit. Ex quibus eſt Hymenæus & Phi
tus, qui à ueritate exciderunt, dicent
reſurrectionem iam factam, & ſubuerte
runt quorundam fidem. Sed firmum fun-
damentum Dei ſtat, habens ſignaculum
hoc: Cognouit Dominus qui ſunt eius,
& diſcedat ab iniquitate omnis qui inuo-
2.tim.3.b cat nomen Domini. Quemadmodum a
Iannes & Mambres reſtiterunt Moſi, ita
& hi reſiſtunt ueritati, homines mente
corrupti, reprobi circa fidem: ſed ultrà
non proficient. Inſipientia enim eorum
manifeſta erit, ſicut & illorum fuit. Tu
autem aſſequutus es meam doctrinam:
Tu uerò permane in his, quæ didiciſti.
Omnis enim ſcriptura diuinitus inſpira-
ta, utilis eſt ad docendum, ad arguendum,
ad corripiendum, ad erudiendum, in iu-
ſtitia: ut perfectus ſit homo Dei, ad omne
opus bonum inſtitutus.

D:

De Obedientia. CAP. XIIII.

A SCimus autem, quoniam quæcunque lex loquitur, iis qui in lege sunt loquitur, ut omne os obstruatur, & subdi- *Rom.3.c*
B tus fiat omnis mundus Deo. Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi: ita & per obedientiam unius, iusti constituentur mul- *Rom.5.d*
C ti. An nescitis, quoniam cui exhibuistis uos seruos ad obediendum, serui estis eius cui obedistis, siue peccati ad mortem, siue obeditionis ad iustitiam? Gratias autem Deo, quòd fuistis serui peccati, obedistis autem ex corde in eam formam do- *Rom.6.c*
D ctrinæ, in quam traditi estis. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas, nisi à Deo. Itaque qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Ideoq; necessitate subditi estote, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam. Ideo enim & tributa præstatis. Ministri enim Dei sunt in hoc ipsum seruientes. *Rom. 13.a*
E Vestra enim obediētia in omnem locum diuulgata est. Obsecro autem uos fratres, *Rom. 16.c*
F nostis domum Stephanæ, & Fortunati, & Achaici, quoniam sunt primitiæ Achaiæ, & in ministerium sanctorum ordinaue- *1.cor.16.c*

rũt ſemetipſos: ut & uos ſubditi ſitis eiuſ-
modi, & omni coöperanti & laboranti.
2.Cor.7.d Cognoſcite ergo qui eiuſmodi ſunt. V-
ſcera Titi abundantius in uos ſunt, re-
miniſcentis omnium ueſtrum obedienti-
quomodo cum timore, & tremore ex-
Gala.3.a cepiſtis eum. O inſenſati Galatæ, quis
faſcinauit nõ obedire ueritati? ante q-
rum oculos IESVS Chriſtus præſcrip-
Gala.5.a eſt, & in uobis crucifixus. Currebatis be-
ne, quis uos impediuit ueritati non obe-
dire? Nemini conſenſeritis. Perſuaſio hæc
non eſt ex eo, qui uocat uos. Modicum
Ph.2.b. fermenti totam maſſam corrumpit. Itaq; f-
chariſſimi mei ſicut ſemper obediſtis,
non in præſentia mea tantùm, ſed mul-
1.Th.4.a to magis nunc in abſentia mea. Scitis
enim quæ præcepta dederim uobis per
Dominum IESVM. Itaq; qui hæc ſper-
nit, non hominem ſpernit, ſed Deum, qui
etiam dedit Spiritũ ſanctum ſuum in no-
2.Th.4.a bis. Ideo fratres, ſtate: & tenete tradi-
tiones quas didiciſtis, ſiue per ſermonem
2.Th.3.d ſiue per epiſtolam noſtram. Confidimus
autem de uobis in Domino, quoniã quæ
præcepimus, & facitis, & facietis. Quod
ſi quis non obedierit uerbo noſtro per
epiſtolam hunc notate. Et ne commiſce-
mini cum illo, ut confundatur. Et nolite

ſicut

ſicut inimicum exiſtimare, ſed corripite
P ut fratrem. Hoc præceptum commendo *1. Tim. 1 d*
tibi fili mi Timóthee, ſecundum præce-
dentes in te prophetias, ut milites in illis
bonam militiam, habens fidem & bo-
nam conſcientiam: quam quidem repel-
lentes circa fidem naufragauerũt. Ex qui-
bus eſt Hymenæus & Alexander, quos
tradidi Satanæ, ut diſcant non blaſphe-
Q mare. Præcipe hæc & doce. Nemo ado- *1. Ti. 4. d*
R leſcentiam tuam contemnat. Qui bene *1. Tim. 5. e*
præſunt presbyteri, duplici honore di-
gni habeantur, maximè qui laborant in
uerbo & doctrina. Dicit enim ſcriptu-
ra: Non alligabis os boui trituranti. Et
dignus eſt operarius mercede ſua. Teſtor
coram Deo & IESV Chriſto, & electis
angelis eius, ut hæc cuſtodias, & ſine præ-
iudicio nihil facias, in aliam partem de-
S clinando. Præcipio tibi coram Deo, qui *1. Tim. 6. c*
uiuificat omnia in Chriſto IESV, qui
teſtimonium reddidit ſub Pontio Pilato
bonam confeſsionem: ut ſerues manda-
tum ſine macula irreprehenſibile, uſque
in aduentum Domini noſtri IESV Chri
T ſti. Sunt enim multi inobedientes, & ua- *Tit. 1. c*
niloqui, & ſeductores, maximè qui de
circunciſione ſunt. Quos oportet redar-
gui, qui uniuerſas domos ſubuertunt, do-

centes quæ non oportet, turpis lucri gratia. Dixit quidam ex eis proprius eorum propheta: Cretenſes ſemper mendaces, malæ beſtiæ, uentres pigri. Teſtimonium hoc uerum eſt. Quamobrem increpa illos durè, ut ſani ſint in fide, non intendentes Iudaicis fabulis, & mandatis ho-
Tit.2.d minum auerſantium ſe à ueritate. Hæc loquere, & exhortare, & argue cum o-
Tit.3.a mni imperio: nemo te contemnat. Admone illos, Principibus, & poteſtatibus ſubditos eſſe, dicto obedire, & ad omne opus bonum paratos eſſe: neminem blaſphemare, non litigioſos eſſe: ſed modeſtos, omnem oſtendentes manſuetu-
Phile.1.b dinem ad omnes homines. Multam fiduciam habens in Christo IESV imperandi tibi quod ad rem pertinet, propter charitatem magis obſecro, confidens de obediētia tua ſcripſi tibi: ſciens quoniam
Hebr.2.a & ſuper id quod dico, facies. Propterea abundantius nos obſeruare oportet ea quæ audiuimus, ne fortè pereffluamus. Si enim qui per angelos dictus eſt ſermo factus eſt firmus, & omnis præuaricatio & inobedientia accepit iuſtam mercedis retributionem: quomodo nos effugiemus, ſi tantam neglexerimus ſalutem?
Hebr.5.b Chriſtus cùm eſſet filius Dei, didicit ex his,

his, quæ paſſus eſt, obedientiam. Et conſummatus factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ.
B Deinde quidem patres carnis noſtrę habuimus eruditores, & reuerebamur eos. Non'ne multò magis obtemperabimus patri ſpirituum, & uiuemus? Et illi quidem in tempore paucorum dierum ſecũdum uoluntatem ſuam erudiebant nos hîc ad id quod utile eſt, in recipiendo ſanctificationem eius. Videte ne recuſetis loquentem. Si enim illi non effugerunt, recuſantes eum, qui ſuper terram loquebatur: multò magis nos, qui de cælis loquentem nobis auertimus, cuius uox mouit terram tunc, nunc autem promittit edicens: Adhuc ſemel, & ego mouebo non ſolùm terram, ſed etiam cælum. Quod autem ADHVC SEMEL dicit, declarat mobilium tranſlationem, tãquam factorum, *Heb. 12. c*
C ut maneant ea, quæ ſunt immobilia. Laudo autem uos fratres, quòd ſicut tradidi uobis præcepta mea tenetis. *1. Co. 11. a*

De Pietate, & miſericordia.

CAPVT XV.

A Gaudete cum gaudentibus, flete cum flentibus. Si eſurit inimicus tuus, ciba illum. Si ſitit, potum da illi. Hæc enim *Rom. 12. c*

faciens, carbones ignis congeres super ca-
Rom. 14. a put eius. Infirmum autem in fide assu-
mite, non in disceptationibus cogitatio-
Rom. 15. a num. Debemus nos firmiores imbecil-
tatem infirmorum sustinere, & non no-
bis placere. Etenim Christus non sibi pla-
cuit, sed sicut scriptum est: Impropri-
improperātium tibi ceciderunt super me.
Propter quod suscipite inuicem, sicut
Christus suscepit uos in honorem Dei.
Probauerunt enim Macedonia & Acha-
ia collationem aliquam facere in paupe-
res sanctorum, qui sunt in Hierusalem.
Rom. 16. a . Commendo autem uobis Phœben so-
rorem nostram, quæ est in ministerio ec-
clesiæ, quæ est Cenchris: ut eam susci-
piatis in domino digne sanctis. Et assista-
tis ei in quocunque negotio uestri indi-
guerit: Etenim ipsa quoque astitit mul-
1. Co. 16. a tis, & mihiipsi. De collectis autem quæ
fiunt in sanctos, sicut ordinaui ecclesiis
Galatiæ, ita & uos facite: per unam sab-
bati unusquisque uestrum apud sese po-
nat, recondens quod ei bene placuerit,
ut non cùm uenero tunc collectæ fiant.
Cùm autem præsens fuero, quos proba-
ueritis, per epistolam, hos mittam perfer-
re gratiam uestram in Hierusalem. Quod
si dignum fuerit, ut & ego eam, mecum
ibunt.

bunt. Si autem uenerit Timotheus, uidete ut sine timore sit apud uos: opus enim Domini operatur, sicut & ego. Ne quis ergo illum spernat: deducite autem illum in pace, ut ueniat ad me. Gaudeo autem in præsentia Stephanæ, & Fortunati, & Achaici: quoniam id quod uobis deerat ipsi suppleuerunt, refecerunt enim &
F meum spiritum, & uestrum. Si quis au- 2. Cor.2.b
tem contristauit me, non me contristauit, sed ex parte, ut non onerem omnes uos. Sufficit illi, qui eiusmodi est, obiurgatio hæc quæ fit à pluribus. Ita ut è contrario magis donetis, & consolemini, ne forte abundantiore tristitia absorbeatur. qui eiusmodi est. Propter quod obsecro uos, ut confirmetis in illum charitatem. Ideo enim scripsi uobis, ut cognoscam experimentum uestrum, an in omnibus obedientes sitis. Cui autem aliquid donastis, & ego. Nam & ego quod donaui, si quid donaui, propter uos in persona Christi: ut non circumueniamur à Satana. Non enim ignoramus
G cogitationes eius. Et ego secundum 2. Cor.8.a
ueritatem testimonium ecclesiis Macedoniæ reddo, quia supra uirtutem uoluntarii fuerunt, cum multa exhortatione obsecrātes nos gratiā, & communica-

tionem ministerii, quod fit in sanctos. Et non sicut sperauimus, sed semetipsos dederunt primũ Deo, deinde nobis per uoluntatẽ Dei. Ita ut rogaremus Titum, ut quemadmodum cœpit, ita & perficiat in uobis gratiam istam. Sed sicut in omnibus abundatis fide & sermone, & scientia, & omni solicitudine, insuper & charitate uestra in nos: ut & in hac gratia abundetis. Non quasi imperans dico, sed per aliorum solicitudinem etiam uestræ charitatis ingenium bonum comprobans. Et cõsilium in hoc do. Hoc enim uobis utile est, qui non solùm facere, sed & uelle cœpistis ab anno priore. Nunc autem & facto perficite, ut quemadmodum promptus est animus uoluntatis, ita sit & perficiendi ex eo quod habetis. Gratias autem Deo, qui dedit eandem solicitudinem pro uobis in corde Titi: quoniam sua uoluntate profectus est ad uos. Misimus autem cum eo fratrem, cuius laus est in euangelio per omnes ecclesias. Non solùm autem, sed & ordinatus ab ecclesiis comès peregrinationis nostrę in hac gratia quæ ministratur à nobis ad Domini gloriam, & destinatam uoluntatem nostram, deuitantes hoc, ne quis nos uituperet in hac plenitudine, quæ ministratur

tur à nobis. Prouidemus enim bona non
ſolùm coram Deo, ſed etiam coram ho-
minibus. Miſimus cum illis fratrem no-
ſtrum, quem probauimus in multis ſæpe
ſolicitum eſſe: nunc autem multo ſolici-
tiorem confidentia multa in uos, ſiue pro
Tito, qui eſt ſocius meus, & in uobis ad-
iutor, ſiue fratres noſtri apoſtoli eccleſia-
H rum gloriæ Dei. Nam de miniſterio, 2.Cor.9.A
quod fit in ſanctos, ex abundanti eſt mihi
ſcribere uobis. Scio enim promptum ani-
mum ueſtrum, pro quo de uobis glorior
apud Macedones. Quoniam & Achaia
parata eſt ab anno priore, & ueſtra æmu-
latio prouocauit plurimos. Miſimus au-
tem fratres, ne quod gloriamur pro uo-
bis, euacuetur in hac parte: ut quemad-
modum dixi, parati ſitis. Ne cùm uene-
rint mecum Macedones, & inuenerint
uos imparatos, erubeſcamus nos, ut non
dicamus uos, in hac ſubſtantia. Neceſ-
ſarium ergo exiſtimaui rogare fratres
ut præueniant ad uos, & præparent re-
promiſſam benedictionem hanc para-
tam eſſe: ſic quaſi benedictionem, non
quaſi auaritiam. Quoniam miniſterium
huius officii, non ſolùm ſupplet ea quæ
deſunt ſanctis, ſed etiam abundat per
multos in gratiarum actione in domi-

no per probationẽ miniſterii huius glorificantes Deum in obedientia confeſsionis ueſtræ, in euangelio Chriſti, in ſimplicitate communicationis in illos, & omnes, & in ipſorum obſecratione pro uobis, deſiderantium uos propter eminentem gratiam Dei in uobis. Vtinam
2.Cor.11.a ſuſtineretis modicum quid inſipientiæ
Gal.6.a meæ: ſed & ſupportate me. Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti. Communicet autem is qui catechizatur uerbo, ei qui ſe catechizat in omnibus bonis. Fratres ſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, uos qui ſpirituales eſtis, huiuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis, conſiderans teipſum, ne & tu tenteris. Qui furabatur, iam non furetur, magis autem laboret, operando manibus ſuis, quod bonum eſt, ut habeat unde tribuat neceſſitatem patienti. Eſtote inuicem benigni, miſericordes, donantes inuicem: ſicut Deus in Chriſto donauit uobis.
Ephe.4.f
Phil.2.d Neceſſarium autem exiſtimaui Epaphroditum fratrem, & cooperarium & commilitonem meum, ueſtrum autem apoſtolum, & miniſtrũ neceſsitatis meæ mittere ad uos. Quandoquidem omnes uos deſiderabat, & mæſtus erat, propterea quòd

ea quòd audieratis illum infirmum. Nam
& infirmatus eſt uſque ad mortem: ſed
Deus miſertus eſt eius: non ſolùm autem
eius, uerùm etiam mei, ne triſtitiam ſu-
per triſtitiam haberem. Feſtinantius ergo
miſi illum, ut uiſo eo iterum gaudeatis,
& ego ſine triſtitia ſim. Excipite itaque
illum cum omni gaudio in domino, &
eiuſmodi in honore habetote, quoniam
propter opus Chriſti uſque ad mortem
acceſsit, tradens animam ſuam: ut imple-
ret id quod ex uobis deerat, erga meum
N obſequium. Etiam rogo te Germane *Phil. 4.a*
compar, adiuua illos, qui mecum labo-
rauerunt in euangelio, cum Clemente,
& cæteris adiutoribus meis, quorum no-
mina ſunt in libro uitæ. Gauiſus ſum
autem in domino uehementer, quoniam
tandem aliquando refloruiſtis pro me
ſentire, ſicut & ſentiebatis, occupati enim
eratis. Non quaſi propter penuriam di-
co: Ego enim didici in quibus ſum, ſuffi-
ciens eſſe. Veruntamen bene feciſtis, com
municantes tribulationi meæ. Scitis au-
tem & uos Philippenſes, quòd in princi-
pio euangelii, quando profectus ſum à
Macedonia, nulla mihi eccleſia commu-
nicauit in ratione dati & accepti, niſi
uos ſoli: quia & Theſſalonicam ſemel &

bis

bis in usus mihi misistis. Non quia quæro datum, sed quia quæro fructum abundantem in ratione uestra. Habeo autem omnia & abundo, repletus sum acceptis ab Epaphrodito quæ misistis, odorem suauitatis, hostiam acceptam placentem

1. The. 5. c Deo. Rogamus autem uos fratres, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos

Hebr. 6. b Non enim iniustus est Deus, ut obliuiscatur operis uestri, & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius: quia ministrastis sanctis, & ministratis. Cupimus autem unumquenque uestrum eandem ostentare solicitudinem ad expletionem

Heb. 10. f spei usque in finem. Nam & uinctis compassi estis.

Heb. 13. a Hospitalitatem autem nolite obliuisci, per hanc enim placuerunt quidam, angelis hospitio receptis. Mementote uinctorum tanquam simul uincti: & laborantium, tanquam & ipsi in corpore morantes. Beneficentiæ & communionis nolite obliuisci. Talibus enim hostiis promeretur Deus. Rogo autem uos fratres, ut sufferatis uerbum solatii.

1. ad Tim. 4. b Exerce autem teipsum ad pietatem. Nam corporalis exercitatio ad modicum utilis est: pietas autem ad omnia utilis est, promissionem habens uitæ, quæ nunc est, & futuræ.

De

De Tẽperantia & Sobrietate, & Corporis castigatione. CAP. XVI.

A FRatres, debitores sumus, non carni, *Roma. 8.c*
ut secundum carnem uiuamus. Si
enim secundum carnem uixeritis, morie-
mini. Si autem spiritu facta carnis mor-
B tificaueritis, uiuetis. Obsecro uos itaque *Rom. 12.a*
fratres per misericordiam Dei, ut exhi-
beatis corpora uestra hostiam uiuentem,
C sanctam, Deo placentem. Et carnis cu- *Rom. 13.d*
D ram ne feceritis in desideriis. Qui au- *Rom. 14.a*
E tem infirmus est, olus manducet. Bonum *Rom. 14.d*
est, non manducare carnem, & non bibere
F uinum. Ego igitur castigo corpus meũ, *1. Cor. 9.c*
& in seruitutem redigo: ne forte cùm
aliis prædicauerim, ipse reprobus effi-
G ciar. Idcirco exhibeamus nos sicut Dei *2. Cor. 6.a*
ministros in ieiuniis, in uigiliis, in casti-
H tate. Et mundemus nos ab omni inqui- *2. Cor. 7.a*
I namento carnis & spiritus. Dico au- *Gala. 5.c*
tem, spiritu ambulate: & desideria car-
nis non perficietis. Caro enim concu-
piscit aduersus spiritum, spiritus autem
aduersus carnem. Hæc enim sibi inui-
cem aduersantur, ut non quæcunq; uul-
tis, illa faciatis. Qui autem sunt Chri-
sti, carnem suam crucifixerunt cum uitiis
K & concupiscentiis. In quibus aliquan- *Ephe. 2.a*
do ambulastis secundum seculum mundi
huius,

huius, secundum principem potestatis aeris huius, spiritus qui nunc operatur in filios diffidentiæ: in quibus & nos omnes aliquando conuersati sumus, in desideriis carnis nostræ, facientes uoluntatem carnis, & cogitationum: & eramus natura filii iræ, sicut & gentes. Hoc igitur dico
Ephe. 4. d
& testificor in domino, ut iam nõ ambuletis, sicut & gentes ambulant, in uanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum: alienati à uia Dei, per ignorantiam, quæ est illis propter cæcitatem cordis ipsorum: qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ in operationem immundiciæ omnis, in auaritia. Vos autem non ita didicistis Christum: si tamen illum audistis, & in illo estis edocti, sicut est ueritas in IESV: deponere secundum pristinam conuersationem ueterem hominem, qui corrumpitur secundũ desideria erroris.
Phil. 3. d
Multi enim ambulant quos sæpe dicebam uobis, nunc autem & flens dico, inimicos crucis Christi: quorum finis interitus, quorum Deus uenter est, & gloria in cõfusione ipsorum, qui terrena sapiunt.
Colos. 3. a
Mortificate ergo membra uestra, quæ sunt super terram, fornicationem, immundiciam, libidinem, concupiscentiam malam. Propter quę uenit ira Dei in filios

filios incredulitatis: in quibus & uos ambulastis aliquando, cùm uiueretis in illis.
O Hæc est autem uoluntas Dei, sanctificatio uestra, ut abstineatis uos à fornicatione, ut sciat unusquisq; uas suum possidere in sanctificatione, & honore, & nō in passione desiderii: sicut & gentes quæ igno- 1. the.4.a
P rant Deum. Igitur non dormiamus, sicut & cæteri, sed uigilemus, & sobrii si- 1.thes.5.a
Q mus. Teipsum castum custodi. Noli adhuc aquam bibere, sed modico uino utere 1. tim.5.d
propter stomachum tuum, & frequentes
R infirmitates tuas. Sobrius esto. Ne quis 2. Ti.4.b
S fornicator aut prophanus ut Esau, qui Heb.12.c
propter unam escam uendidit primogenita sua. Scitote enim, quoniam postea cupiens hæreditare benedictionē, reprobatus est. Non enim inuenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lacrymis inqui-
T sisset eam. Nolite ergo inebriari uino, in Ephe.5.d
quo est luxuria.

Contra uitia carnis. CAP. XVII. Roma.1.e

A SEruierunt creaturæ potius, quā creatori. Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ. Nam fœminæ eorū mutauerunt naturalē usum in eū usum, qui est cōtra naturā. Similiter autē & masculi, relicto usu naturali fœminæ, exarserūt in desideriis suis ininuicem, masculi in masculos

masculos turpitudinē operantes. Et mer-
cedem quam oportuit, erroris sui in-
Rom.6.b metipsos recipientes. Non ergo regn[et]
peccatum in uestro mortali corpore
obediatis cõcupiscentiis eius. Huma[num]
dico propter infirmitatem carnis uest[ræ].
Sicut exhibuistis membra uestra ser[uire]
immunditiæ, & iniquitati ad iniqu[ita-]
tem: ita nunc exhibete membra uestra [ser-]
uire iustitiæ, in sanctificationem. Quem
ergo fructum habuistis tunc, in quibus
nunc erubescitis? Nam finis illorum mors
Rom.8.d est. Stipendia enim peccati mors. Qui
autem in carne sunt, Deo placere non
possunt. Vos autem in carne non estis,
sed in spiritu: si tamen spiritus Dei habi-
tat in uobis. Ergo debitores sumus, non
carni, ut secundum carnem uiuamus. Si
enim secundum carnem uixeritis, morie-
mini. Si autē spiritu facta carnis mortifi-
Rom. 13.d caueritis, uiuetis. Non in comessationi-
bus & ebrietatibus, non in cubilibus &
impudicitiis: sed induimini dominum
1.Cor.5.a IESVM. Omnino auditur inter uos for-
nicatio, & talis fornicatio, qualis nec in-
ter gentes, ita ut uxorem patris sui aliquis
habeat. Et uos inflati estis, & non magis
luctum habuistis, ut tollatur de medio
uestrum, qui hoc opus fecit. Ego qui-
dem

dem absens corpore, præsens autem spiritu, iam iudicaui ut præsens eum qui sic operatus est, in nomine Domini nostri IESV Christi. Nõ est bona gloriatio uestra. Nescitis, quia modicum fermenti totam massam corrumpit? Scripsi uobis in epistola, ne commisceamini fornicariis. Non utique fornicariis huius mundi, aut auaris, aut rapacibus, aut idolis seruientibus. Alioquin debueratis de hoc mundo iam exisse. Nunc autem scripsi uobis non
F commisceri. Esca uentri, & uenter escis: *1.Cor.6.c*
Deus autem & hunc & has destruet. Corpus non fornicationi, sed domino, & dominus corpori. Nescitis, quoniam corpora uestra membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi, faciã membra meretricis? Absit. An nescitis quoniam qui adhæret meretrici, unũ corpus efficitur? Erunt enim (inquit) duo in carne una. Fugite fornicationem. Omne enim peccatum quodcunque fecerit homo, extra corpus est: qui autem fornicatur, in cor-
G pus suum peccat. Manifesta sunt opera *Gala.5.c*
carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum seruitus, ueneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, inuidiæ, ebrietates, comessationes, & his

similia: quæ prædico uobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. *Ephe.5.a* Fornicatio autem & omnis immundicia, aut auaritia, nec nominetur in uobis, sicut decet sanctos: turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas quæ ad rem non pertinet: sed magis gratiarũ actio. Hoc enim scitote intelligentes, quòd omnis fornicator aut immundus, aut auarus (quod est idolorum seruitus) non habet hæreditatem in regno Christi & Dei. Propter hoc enim uenit ira Dei in filios diffidentiæ. *1.the.4.b* Non enim uocauit nos Deus in immundiciam, sed in sanctificationẽ. *Heb.13.a* Fornicatores enim & adulteros iudicabit Deus.

De fortitudine, Stabilitate, atque Constãtia cordis. CAP. XVIII.

1.cor.15.g Itaque fratres mei dilectissimi stabiles estote, & immobiles, abundantes in opere domini semper, sciẽtes quòd labor uester non est inanis in domino. *Eph.4.c* Idcirco iam non simus paruuli fluctuantes, & circunferamur omni uẽto doctrinæ, in nequitia hominum, in astutia ad circumuentionẽ erroris. *Eph.6.b* De cætero fratres confortamini in domino, & in potentia uirtutis eius. Induite uos armaturam Dei, ut possitis

ſitis ſtare aduerſus inſidias diaboli: quia non eſt nobis colluctatio aduerſus carnẽ & ſanguinẽ: ſed aduerſus principes & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum, cõtra ſpiritualia nequitię in cæleſtibus. Propterea accipite armaturam Dei, ut poſsitis reſiſtere in die malo, & in omnibus perfecti ſtare. State ergo ſuccincti lumbos ueſtros in ueritate, & induti loricã iuſtitiæ, & calciati pedes in præparatiõe euangelii pacis: in omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poſsitis omnia tela nequiſsimi ignea extinguere: & galeam ſalutis aſſumite, & gladium ſpiritus, quod eſt uerbum Dei, per omnẽ orationẽ & obſecrationẽ orantes omni tem-
D pore in ſpiritu. Permanete in fide funda- *Coloſſ. 1. c*
ti, & ſtabiles, & immobiles à ſpe euangelii, quod audiſtis, & prædicatũ eſt in uni-
E uerſa creatura quæ ſub cælo eſt. Sicut er- *Coloſſ. 2. b*
go accepiſtis Chriſtũ IESVM dominum noſtrum, in ipſo ambulate, radicati & ſuperædificati in ipſo, confirmati in fide, ſicut & didiciſtis, abundãtes in illo in gra-
F tiarum actione. Induti loricam fidei, & *1. theſ. 5. b*
charitatis, & galeã ſpem ſalutis. Quoniã non poſuit nos deus in iram, ſed in acquiſitionem ſalutis per dominũ noſtrũ IESVM Chriſtum: qui mortuus eſt pro no-

bis,ut siue uigilemus, siue dormiamus,si-
2.thes.2.a mul cum illo uiuamus. Rogamus autem
uos fratres, per aduentum domini nostri
IESV Christi, & nostræ congregatio
in ipsum, ut nō cito moueamini à ue
sensu : neq; terreamini, neq; per spiritu
neq; per sermoné, neq; per epistolam
quā per nos missam, quasi instet dies do
2.thes.3.a mini. Fidelis autem Deus qui confirma
bit uos, & custodiet à malo. Vos autē fra
2. tim.2.a tres nolite deficere benefacientes. Tu er-
go fili mi confortare in gratia quæ est in
Heb.3.b Christo IESV. Fiduciam & gloriā spei
usque in finem firmā retineamus. Qua-
propter sicut dicit Spirit⁹ sanctus: Hodie
si uocem eius audieritis, nolite obdurare
corda uestra: sicut in exacerbatione se-
cundum diem tentationis in deserto, ubi
tentauerunt me patres uestri, probauerūt
& uiderūt opera mea quadraginta annis.
Participes enim Christi effecti sumus, si
tamen initiū substantiæ eius usq; in finé
firmum retineamus, dum dicitur: Hodie
si uocem eius audieritis, nolite obdurare
corda uestra, quemadmodū in illa exacer
Heb.13.b batione. Doctrinis uariis & peregrinis
nolite abduci. Optimum est enim gratia
stabilire cor, non escis: quæ non profue-
2.co.10.a runt ambulantibus in eis. In carne ambu-

lantes,

ſantes,non ſecundum carnem militamus. Nam arma militiæ noſtræ non carnalia ſunt, ſed potentia Deo ad deſtructionem munitionum , conſilia deſtruentes, & omnem altitudinem extollentem ſe aduerſus ſcientiam Dei. Et in captiuitatem redigentes omnẽ intellectum in obſequiũ Chriſti , & in promptu habentes ulciſci omnem inobedientiam,cùm impleta fuerit ueſtra obedientia.

Contra auaritiam,& de Liberalitate. CAP. XIX.

A AVaritia nec nominetur in uobis, quia auarus(quod eſt idolorũ ſeruitus)nó habet hæreditatẽ in regno Chri- *Eph.5.a*
B ſti & Dei.Ideo propter Chriſtum omnia detrimentum feci,& arbitror ut ſtercora, *Phile.3.b*
C ut Chriſtum lucrifaciam. Veritate priuati exiſtimant quæſtum eſſe pietatem. Eſt autem quæſtus magnus pietas cum ſufficientia. Nihil enim intulimus in hunc mundum,haud dubium, quia nec auferre quid poſſumus. Habentes autem alimenta & quibus tegamur, his contenti ſimus. Nam qui uolunt diuites fieri,incidunt in tentationem & laqueum diaboli, & deſideria multa & inutilia & nociua , quæ mergunt homines in interitum,& perdi- *1.tim.6.a*

tionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas. Quam quidam appetentes errauerunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis. Tu autem ô homo Dei fuge. Diuitibus huius seculi præcipe sublimè sapere, nec sperare in incerto diuitiarum: sed in Deo uiuo, qui præstat omnia nobis abundãter ad fruendum: bene agere, diuites fieri in operibus bonis, facile tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant ueram uitam. Sint mores sine auaritia, cõtenti præsentibus. Ipse enim dixit: Non te deseram, neque derelinquam. Ita ut confidenter dicamus: Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo. Sed omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ IESV Christi.

Heb. 13. a

Phile. 2. c

De exemplaritate seruanda, & scandalis euitãdis. CAP. XX.

Rom. 2. c

SI autem tu Iudæus cognominaris, & requiescis in lege, & gloriaris in deo, & nosti uoluntatem eius, & probas utiliora: instructus per legem, confidis teipsum ducem esse cæcorũ, lumen eorum qui in tenebris sunt, eruditorem insipientium, magistrum infantium, habentẽ formam & scientiam ueritatis in lege. Qui alium

alium doces,teipſum nõ doces. Qui prædicas non furãdum,furaris. Qui dicis nõ mœchandum,mœcharis. Qui abominaris idola, ſacrilegium facis. Qui in lege gloriaris,per præuaricationẽ legis Deum inhonoras. Nomẽ enim Dei per uos blaſ
B phematur inter gẽtes. Ne ponatis offendiculum fratri,uel ſcandalũ. Scio & confido in Domino IESV, quia nihil commune per ipſum,niſi ei q̃ exiſtimat quid commune eſſe,illi commune eſt. Si enim propter cibũ frater tuus contriſtatur, iam non ſecũdum charitatem ambulas. Noli cibo tuo illum perdere,pro quo Chriſtus mortuus eſt. Non ergo blaſphemetur bonum noſtrum. Non enim eſt regnũ Dei eſca & potus, ſed iuſtitia & pax & gaudium in ſpiritu ſancto. Qui enim in hoc ſeruit Chriſto, placet Deo, & probatus eſt hominibus. Itaque quæ ædificationis ſunt,inuicem cuſtodiamus. Noli propter eſcam deſtruere opus Dei. Omnia quidem munda ſunt, ſed malum eſt homini qui per offendiculum manducat. Bonum eſt non manducare carnem,aut non bibere uinum,neque in quo frater tuus offenditur, aut ſcandalizatur, aut infirmatur. *Rom.14.c*
C Vnuſquiſque proximo ſuo placeat in bo- *Rom.15.A*
D num ad ædificationem. Rogo autem *Rom.16.c*

fratres ut obſeruetis eos, qui diſſenſiones
uel offendicula præter doctrinam quam
uos didiciſtis faciũt, & declinate ab illis.
Huiuſmodi enim Chriſto domino non
ſeruiunt, ſed ſuo uentri. Et per dulces ſer-
mones & benedictiones ſeducunt corda
8. cor. 8. b innocentium. Quidam autem cum con-
ſcientia uſque nunc idoli, idolothyta
manducant: & conſcientia ipſorum cum
ſit infirma polluitur. Eſca autem nos non
commendat Deo. Neque enim ſi non
manducauerimus, deficiemus: neque ſi
manducauerimus, abundabimus. *Videte*
autẽ ne hæc licentia ueſtra offendiculum
fiat infirmis. Si enim quis uiderit eum,
qui habet ſcientiam in idolio recumben
tem, non'ne conſcientia eius cùm ſit infir
ma, ædificabitur ad manducandum ido-
lothyta? Et perit infirmus in tua ſcientia
frater, propter quem Chriſtus mortuus
eſt. Sic autem peccantes in fratres, & per-
cutientes conſcientiam eorum infirmã,
in Chriſtum peccatis. Quapropter ſi eſca
ſcandalizat fratrem meum, non mãduca-
bo carnem in æternum, ne fratrẽ meum
ſcandalizem. Omnia mihi licent, ſed non
8. co. 10. c omnia expediunt. Omnia mihi licent,
ſed non omnia ædificant. Omne quod in
macello uænit manducate: nihil inter-

rogan

rogantes, propter conſcientiam. Domini
enim eſt terra,& plenitudo eius. Si quis
uocat uos infidelium ad cœnam, & uul-
tis ire, omne quod uobis apponitur, man-
ducate, nihil interrogantes propter con-
ſcientiam. Si quis autem dixerit, hoc im-
molatũ eſt idolis, nolite manducare pro-
pter illum qui indicauit, & propter con-
ſcientiam. Conſcientiam autem dico, non
tuam, ſed alterius. Vt quid enim libertas
mea iudicatur ab aliena conſcientia? Si
ego cum gratia participo, quid blaſphe-
mor, pro eo quod gratias ago? Sine offen
ſione eſtote Iudæis & gentibus. Sicut &
ego per omnia omnibus placeo, nõ quæ-
rens quod mihi utile eſt: ſed quod mul-
G tis ut ſalui fiant. Omnia ad ædificatio- 1.cor.14.e
H nem fiant. Ideo abdicamus occulta de- 2.Cor.4.a
decoris, non ambulantes in aſtutia, neque
adulterantes uerbum Dei: ſed in manife-
ſtatione ueritatis, commẽdantes noſmet-
ipſos ad omnem conſcientiam hominis
I coram Deo. Nemini dantes ullam offen 2.Cor.6.a
ſionem, ut non uituperetur miniſteriũ no
K ſtrum. Capite nos, neminem læſimus, ne- 2.cor.7.a
minem corrupimus, neminem circunue-
L nimus. Deuitantes hoc, nequis nos uitu- 2.Cor.8.d
peret in hac plenitudine, quæ miniſtratur
à nobis. Prouidemus enim bona non ſo-

lum coram Deo, sed etiam coram homi-
2.Cor.12.f nibus. Omnia autem charissimi propter
Gal.5.c uestram ædificationem. Quòd si inui-
cem mordetis, et comeditis, uidete ne
Eph.4.g inuicem cõsumamini. Omnis sermo ma-
lus ab ore uestro non procedat: sed si quis
bonus est ad ædificationem fidei, ut det
1.thes.4.c gratiam audientibus. Et honeste ambu-
1.thes.3.c letis ad eos, qui foris sunt. Propter quod
2.thes.3.b ædificate alterutrum, sicut & facitis. De-
nuntiamus uobis fratres, in nomine do-
mini nostri IESV Christi, ut subtrahatis
uos ab omni fratre ambulante inordina-
tè, & non secundum traditionem, quam
acceperũt à nobis. Ipsi enim scitis, quem-
admodum oporteat imitari nos, quoniã
non inquieti fuimus inter uos, neque gra
tis manducauimus panem ab aliquo. Sed
in labore, & fatigatione, nocte & die ope-
rantes, ne quem uestrum grauaremus.
Non quasi non habuerimus potestatem,
sed ut nosmetipsos daremus formam uo-
1.tim.4.d bis, ad imitandum nos. Exemplum esto
fidelium, in uerbo, in conuersatione, in
charitate, in fide, in castitate: hæc medi-
tare, in his esto, ut profectus tuus mani-
Tit.2.b festus sit omnibus. In omnibus teipsum
præbe exemplum bonorũ operum, in do-
ctrina, in integritate, in grauitate. Com-
munic

V municatio fidei tuæ euidens fiat in agni- *Ad Phi*
tione omnis operis boni in Christo IE- *lemonē b*
X SV. Nam omnia ſuſtinemus, ne quod *1.Cor.9.b*
offendiculum demus Euangelio Christi.
Y Modeſtia autem ueſtra nota ſit omnibus *Phili.4.a*
hominibus.

Exhortatio ad pacem, atque concordiam: & contra diſſenſionem, & contentionē.

CAPVT XXI.

A QVæ pacis ſunt ſectemur. Deus autē *Rom.14.d*
B patientiæ det uobis idipſum ſapere *Rom.15.a*
in alterutrum ſecundum IESVM Chri-
ſtum, ut unanimes uno ore honorificetis
Deum & patrem Domini noſtri IESV
Christi. Obſecro autē uos fratres per no-
men Domini noſtri IESV Christi, ut
idipſum dicatis omnes, & nō ſint in uobis
ſchiſmata. Sitis autem perfecti in eodem
ſenſu, & in eadem ſcientia. Significatum
eſt enim mihi de uobis, fratres mei, ab his
qui ſunt Chloës, quia contentiones ſunt
C inter uos. Hoc autem dico, quod unuſ- *1.Cor.1.b*
quiſque ueſtrum dicit: Ego quidem ſum
Pauli, ego autē Apollo, ego uerò Cephæ,
ego autem Christi. Diuiſus eſt Christus?
Nunquid Paulus crucifixus eſt pro uobis,
aut in nomine Pauli baptizati eſtis? Gra-
tias

tias ago Deo meo, quòd neminem ue-
ſtrum baptizaui, niſi Criſpum, & Caium:
ne quis dicat, quòd in nomine meo bapti-
1.Cor.3.a zati eſtis. Et ego, fratres, non potui uobis
loqui quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carna-
libus. Quaſi paruulis in Chriſto, lac po-
tum dedi uobis, non eſcã. Nondum enim
poteratis, ſed nec nunc quidem poteſtis.
Adhuc enim eſtis carnales. Cùm enim ſit
inter uos zelus & contentio, non'ne car-
nales eſtis, & ſecundum hominem ambu-
1.Cor.1.b latis? Cùm enim quis dicat: Ego quidem
ſum Pauli. Alius aũt, ego Apollo: Non ne
homines eſtis? Quid igitur eſt Apollo?
quid uerò Paulus? Miniſtri eius cui cre-
didiſtis. Et unicuique ſicut Dominus de-
dit. Ego plãtaui: Apollo rigauit: ſed Deus
incrementum dedit. Itaque neq; qui plan-
tat eſt aliquid, neq; qui rigat: ſed qui in-
crementum dat Deus. Qui plantat autem,
& qui rigat, unum ſunt. Itaque nemo glo-
rietur in hominibus. Omnia enim ueſtra
ſunt: ſiue Paulus, ſiue Apollo, ſiue Ce-
phas, ſiue mundus, ſiue uita, ſiue mors,
ſiue præſentia, ſiue futura. Omnia enim
ueſtra ſunt, uos autem Chriſti, Chriſtus
1.Cor.4.a autem Dei. Sic nos exiſtimet homo, ut
miniſtros Chriſti, et diſpenſatores myſte-
riorum Dei. Hîc iam quæritur inter diſ-
penſat

pensatores,ut fidelis quis inueniatur. Hæc
auté fratres transfiguraui in me, & Apol-
lo, propter uos:ut in nobis discatis, ne su-
pra quàm scriptum est,unus aduersus alte-
rũ infletur pro alio. Quis enim te discer-
nit? Iam saturati estis, iam diuites facti
estis. Sine nobis regnatis: Et utinam re-
G gnetis,ut & nos uobiscum regnemus. In 1.Cor.7.e
H pace enim uocauit nos Deus. Si quis au- 1.Cor.11.d
tem uidetur contentiosus esse, nos talem
consuetudinem non habemus, neque ec-
clesia Dei. Hoc autem præcipio,non lau-
dans, quòd non in melius, sed in deterius
conuenitis. Primùm quidem conuenien-
tibus uobis in ecclesiam, audio scissuras
esse: & ex parte credo. Nam oportet hæ-
reses esse, ut & qui probati sunt,manifesti
fiant in uobis. Cõuenientibus ergo uobis
in unum, iam non est dominicã cœnam
manducare. Vnusquisque enim suam cœ-
nam præsumit ad manducandum. Et alius
quidé esurit,alius autem ebrius est. Nun-
quid domos non habetis ad manducan-
dum,& bibendũ? Aut ecclesiam Dei con-
temnitis? Et confunditis eos qui non ha-
bent. Quid dicam uobis? Laudo uos? In
I hoc non laudo. Non est enim dissen- 1.Cor.14.f
sionis Deus sed pacis: sicut in omnibus
K ecclesiis sanctorum doceo. Et quicunque Gal.6.d
hanc

hanc regulam secuti fuerint, pax super illos, & misericordia, & super Israel Dei.

Phili. 1.d Tantum dignè Euangelio Christi conuersamini, ut siue cùm uenero & uidero uos, siue absens audiam de uobis, quia statis in uno spiritu unanimes, collaborantes fidei Euangelii.

Phili. 2.a Si qua ergo consolatio in Christo, si quod solatium charitatis, si qua societas spiritus, si qua uiscera miserationis: implete gaudium meum, ut idem sapiatis, eandem charitatem habentes unanimes idipsum sentientes.

Phili. 3.c Veruntamen ad quod peruenimus, ut idem sapiamus, & in eadem permaneamus regula.

Phili. 4.a Euodiam rogo, & Syntychen deprecor, idipsum sapere in Domino.

Colos. 3.b Et pax Christi exultet in cordibus uestris, in qua & uocati estis in uno corpore.

2. Tim. 2.b Noli uerbis contendere: ad nihil enim utile est, nisi ad subuersionem audientium. Stultas autem & sine disciplina quæstiones, deuita: sciens quoniam generant lites: seruum autem Dei non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes.

Tit. 3.c Stultas autem quæstiones, & genealogias, & contentiones & pugnas legis deuita, sunt enim inutiles & uanæ.

Contra temeraria, & inordinata iudicia. CAP. XIII.

Inex-

A INexcusabilis es, ô homo, omnis qui iu- *Rom. 2. A*
dicas: in quo enim iudicas alterum, te-
ipsum condẽnas. Eadem agis quę iudicas.
Scimus enim quoniam iudicium Dei est
secũdum ueritatem in eos qui talia agunt.
Existimas autem hoc ô homo, omnis qui
iudicas eos, qui talia agunt, & facis ea,
quia tu effugies iudicium Dei? An diui-
tias bonitatis eius, & patientiæ, & longa-
nimitatis contemnis? Ignoras, quoniam
benignitas Dei ad pœnitentiam te ad-
ducit, secundum duritiam autem tuam,
& impœnitens cor, thesaurizas tibi iram
in die iræ, & reuelationis iusti iudicii
B Dei. Alius credit se manducare omnia: *Rom. 14. A*
is qui manducat, non manducantem non
spernat. Et qui non manducat, mandu-
cantem non iudicet. Deus enim illum as-
sumpsit. Tu quis es, qui iudicas alienum
seruum? Suo domino stat, aut cadit. Stabit
autem, potens est enim Deus statuere il-
lum. Nam alius iudicat diem inter diem,
alius iudicat omnem diem. Vnusquisque
in suo sensu abundet. Qui sapit diem, Do-
mino sapit. Et qui manducat, Domino
manducat: gratias enim agit Deo. Tu
autem quid iudicas fratrem tuum? Aut tu
quare spernis fratrem tuum? Omnes enim
stabimus ante tribunal Christi. Scriptum
est

est enim : Viuo ego,dicit dominus,quo-
niã mihi flectetur omne genu. Et omnis
lingua confitebitur Domino. Itaq; unu-
quisque nostrum pro se rationem red-
Deo. Non ergo amplius inuicem iu-
mus , sed hoc iudicate magis , ne po-
offendiculum fratri, aut scandalum. Be-
tus qui non iudicat semetipsum in
1.Cor.4.a quod probat. Mihi autẽ pro minimo e-
ut à uobis iudicer , aut ab humano d-
sed neque meipsum iudico. Nihil enim
mihi conscius sum , sed in hoc iustifica-
tus non sum. Qui autem iudicat me, Do-
minus est. Itaque nolite ante tempus iu-
dicare, quoadusque ueniat Dominus, qui
& illuminabit abscondita tenebrarum, &
manifestabit consilia cordium : & tunc
1.Cor.5.d laus erit unicuique à Deo. Quid enim
mihi de his,q foris sunt iudicare? Nónne
de his qui intus sunt uos iudicatis ? Nam
1.Cor.6.a eos qui foris sunt, Deus iudicabit. Aude-
aliquis uestrum habens iudicium iudica-
ri apud iniquos, & non apud sanctos?
An nescitis,quoniam sancti de hoc mun-
do iudicabunt ? Et si in uobis iudicabi-
tur mundus , indigni estis qui de mini-
mis iudicetis ? Nescitis, quoniam ange-
los iudicabimus : quantò magis secu-
ria? Secularia igitur iudicia (si quæ-
bitis)

betis) contemptibiles qui ſunt in eccleſia, illos conſtituite ad iudicandum. Ad uerecundiam ueſtram dico: Sic non eſt inter uos ſapiens quiſquam, qui poſsit iudicare inter fratrem ſuum: ſed frater cum fratre in iudicio contendit, & hoc apud infideles? Iam quidem omnino delictum eſt in uobis, quòd iudicia habetis inter uos. Quare non magis iniuriam accipitis? Quare non magis fraudem patimini? Sed uos iniuriam facitis, & fraudatis, & hoc fratribus. An neſcitis, quoniam im-
F pii regnum Dei non poſsidebunt? Quòd *1.Cor.11.g*
ſi noſmetipſos diiudicaremus, non utique iudicaremur. Dum autem iudicamur à Domino, corripimur, ut non cum hoc
G mundo damnemur. Ab his autem qui *Gala.2.b*
uidebantur aliquid eſſe, quales aliquando fuerint, nihil mea intereſt. Deus per-
H ſonam hominis non accipit. Nemo er- *Coloſ.2.c*
go uos iudicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei feſti, aut Neomeniæ, aut ſabbatorum, quæ ſunt umbra futurorum, corpus autem Chriſti.

De ſpirituali profectu, & Perfectione. CAPVT XXIII.

A NEſcitis, quòd hi, qui in ſtadio cur- *1.Cor.9.e*
runt, omnes quidem currunt, ſed

unus accipit brauium. Sic currite, ut comprehendatis. Omnis enim qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet. Et illi quidem, ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam. Ego igitur sic curro, non quasi in incertum. Sic pugno, non quasi aërem uerberans.

1.Co. 12.d Aemulamini autem charismata meliora.

1.Cor. 13.c Cùm essem paruulus, loquebar ut paruulus, sapiebam ut paruulus, cogitabam ut paruulus: quando autem factus

1.Co. 14.c sum uir, euacuaui quæ erant paruuli. Sic & uos quoniam æmulatores estis spirituum, ad ædificationem ecclesiæ quærite,

2.Cor. 6.a ut abundetis. Adiuuantes autem exhortamur, ne in uacuum gratiam Dei recipiatis, Ait enim: Tempore accepto exaudiui te, & in die salutis adiuui te. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies

2.Cor. 9.c salutis. Potens est enim Deus omnem gratiam abundare facere in uobis, ut in omnibus semper sufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum, sicut scriptum est: Dispersit dedit pauperibus, iustitia eius manet in seculum seculi. Qui autem administrat semen seminanti, & panem ad manducandum præstabit, & multiplicabit semen uestrum, & augebit incrementa frugum iustitiæ uestræ: ut in

omnib

omnibus locupletati, abundetis in omnem simplicitatem, quæ operatur per
G uos gratiarum actionem Deo. Bonum *Gala.4.c*
autem æmulamini in bono semper, & non tantùm cùm præsens sum apud uos.
H Veritatem autem facientes in charitate *Ephe.4.c*
crescamus in illo per omnia, qui est ca-
I put Christus. Eratis enim aliquando te- *Ephe.5.b*
nebræ, nunc autem lux in Domino, ut filii lucis ambulate: fructus enim lucis est in omni bonitate, & iustitia, & ueritate: probantes quid sit beneplacitum
K Deo. Fructus autem spiritus est chari- *Gala.5.d*
tas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, casti-
L tas. Aduersus huiusmodi non est lex. De- *1.The.4.a*
cætero ergo fratres, rogamus uos & obsecramus in Domino IESV, ut quemadmodum accepistis à nobis quomodo uos oporteat ambulare, & placere Deo, sic
M & ambuletis, ut abundetis magis. Qua- *Hebr.6.a*
propter intermittétes inchoationis Christi sermonem, ad perfectionem feramur: non rursus iacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis & fidei ad Deum, baptismatum doctrinæ, impositionis quoque manuum, ac resurrectionis mortuorum, & iudicii æterni. Et hoc

ergo faciemus, si quidẽ permiserit Deus.
Confidimus autem de uobis dilectissimi
meliora, & uiciniora saluti, tametsi ita lo-
quamur. Cupimus autem, ut non segnes
efficiamini: uerùm imitatores eorum qui
fide & patientia hæreditabunt pro-
Phili.3.e missiones. Non quòd iam acceperim, aut
perfectus sim, sequor autem si quo mo-
do comprehendam, in quo & comprehen-
sus sum à Christo IESV. Fratres, ego arbi-
tror me non comprehendisse. Vnum au-
tem, quæ quidem retrò sunt obliuiscens,
ad ea uerò quæ sunt priora extendens me-
ipsum, ad destinatum persequor, ad bra-
uium supernæ uocationis Dei in Christo
IESV. Quicũq; ergo perfecti sumus, hoc
sentiamus. Et si quid aliter sapitis, & hoc
Hebr.5.d uobis Deus reuelabit. Perfectorum au-
tem est solidus cibus, eorum qui pro con-
suetudine exercitatos habent sensus ad
2.Cor.7.a discretionem boni & mali. Perficientes
1.Co.14.d sanctificationem, in timorem Dei. Ideo
fratres, nolite pueri effici sensibus, sed ma-
litia paruuli estote: sensibus autẽ perfecti
sitis. Nunc ergo liberati à peccato, serui
autem facti Deo, habetis fructum uestrum
in sanctificationem, finem uerò uitam
æternam. Gratia autem Dei, uita æterna
in Christo IESV. An nescitis, quoniam s.
memb

membra uestra templum est Spiritus san-
cti qui in uobis est: quem habetis à Deo,
& non estis uestri? Empti enim estis pre-
tio magno, glorificate ergo & portate
T Deum in corpore uestro. Primus homo 1. Cor.15.f
de terra, terrenus: secundus de cælo, cæle-
stis. Qualis terrenus, tales & terreni: &
qualis cælestis, tales & cælestes. Igitur si-
cut portauimus imaginem terreni, porte-
mus & imaginem cælestis. Hoc autem di
co fratres, quòd caro & sanguis regnum
Dei possidere non possunt: neque corru-
V ptio incorruptelam possidebit. Christo Gala.2.d
confixus sum cruci. Viuo autem iam non
ego, uiuit uerò in me Christus: qui dile-
xit me, & tradidit semetipsum propter
X me. Non abiicio gratiam Dei. De cętero Gala.6.d
nemo mihi molestus sit. Ego stigmata
Domini IESV in corpore meo porto.
Y Salutat uos Epaphras, qui est ex uobis, Colos. 4.c
seruus Christi IESV, semper solicitus pro
uobis in orationibus, ut stetis perfecti, &
Z pleni in omni uoluntate Dei. Nostra Phil.3.d
A enim conuersatio in cælis est. Itaque fra- Phil. 4.a
tres mei charissimi, & desideratissimi,
gaudium meũ & corona mea, sic state in
B Domino. Vos enim testes estis & Deus, 2.thes.2.b
quàm sanctè, & iustè, & sine querela,
uobis qui credidistis fuimus, sicut scitis,

qualiter unumquenque ueſtrum, tan-
quàm pater filios ſuos, deprecantes uos,
& conſolantes, teſtificati ſumus, ut am-
buletis dignè Deo, qui uos uocauit
ſuum regnum, & gloriam. Omnes e-
2. tim. 1. b uos filii lucis eſtis, & filii Dei. Propter
quam cauſam admoneo te, ut reſuſcites
in te gratiam Dei, quæ eſt in te per impo-
ſitionem manuum mearum. Non enim
dedit nobis ſpiritum timoris, ſed uirtu-
tis, & dilectionis, & ſobrietatis. Noli
itaque erubeſcere teſtimonium Domini
noſtri IESV Chriſti, neque me uinctum
eius: ſed collabora euangelio ſecundum
uirtutem Dei.

De Correptione charitatiua, & iuſta. CAP. XXIIII.

Ephe. 5. c NOlite communicare operibus in-
fructuoſis tenebrarum, magis au-
tem redarguite. Quæ enim in occulto
fiunt ab eis, turpe eſt dicere. Omnia au-
tem quæ arguũtur à lumine, manifeſtan-
tur. Omne enim quod manifeſtatur, lu-
men eſt. Propter quod dicit: Surge qui
dormis, & exurge à mortuis, & illu-
1. The. 5. c minabit te Chriſtus. Rogamus autem
2. the. 3. d uos fratres, corripite inquietos. Quod
ſi quis non obedierit, nolite illum quaſi
inimic

inimicum existimare, sed corripite ut
D fratrem. Seniorem ne increpaueris, sed 1. Ti. 5. a
obsecra, ut patrem. Peccantes autem co-
ram omnibus argue, ut cæteri timorem
E habeant. Testificor coram Deo & Chri- 2. Ti. 4. a
sto IESV, qui iudicaturus est uiuos ac
mortuos, & per aduentum ipsius & re-
gnum eius: prædica uerbum, insta op-
portunè, importunè: argue, obsecra, in-
crepa in omni patientia & doctrina. Erit
enim tempus, cum sanam doctrinam non
sustinebunt, sed ad sua desideria, coacer-
uabunt sibi magistros prurientes auri-
bus. Et à ueritate quidem auditum auer-
tent, ad fabulas autem conuertentur.
F Scriptura utilis est ad arguendum, ad 2. Ti. 3. d
G corripiendum. Hæc loquere, & exhor ad ti. 2. d
H tare, & argue cum omni imperio. Ser- 2. Ti. 2. d
uum autem domini oportet cum mo-
destia esse corripientem eos qui resistunt
ueritati, ne quando det illis Deus pœ-
nitentiam ad cognoscendam ueritatem,
& resipiscant à laqueis diaboli, à quo
captiui tenentur ad ipsius uoluntatem.
I Etenim cum deberetis magistri esse pro Hebr. 5. c
pter tempus, rursum indigetis ut uos
doceamini, quæ sunt elementa exordii
sermonum Dei, & facti estis quibus la-
cte opus est, non solido cibo. Omnis

enim qui lactis est particeps, expers est ser-
Heb. 12.b monis iustitiæ, paruulus enim est. Quis e-
filius, quem nõ corripit pater? Omnis au-
tem disciplina in præsenti quidem uide-
tur non esse gaudii, sed mœroris: postea
autem fructum pacatissimum exercitatis
per eam reddet iustitiæ.

De Tentatione. CAP. XXI.

1.Cor.10.c NOn tentemus Christum, sicut qui-
dam tentauerunt, & à serpentibus
perierunt. Tentatio uos non apprehédat,
nisi humana. Fidelis autem dominus est,
qui nõ patietur uos tentari supra id quod
potestis, sed faciet etiam cum tentatione
Rom. 16.c prouentum, ut possitis sustinere. Deus
autem pacis cõteret satanam sub pedibus
2.Cor.11.d uestris uelociter. Nam pseudapostoli ope-
rarii subdoli transfigurant se in apostolos
Christi. Et non mirum, ipse enim Satanas
transfigurat se in angelum lucis. Non est
ergo magnum, si ministri eius transfigu-
rentur, uelut ministri iustitiæ: quorum
2.Cor.12.d finis erit secundum opera eorum. Et ne
magnitudo reuelationum extollat me,
datus est mihi stimulus carnis meæ ange-
lus Satanæ, qui me colaphizet. Propter
quod ter dominũ rogaui, ut discederet à
me. Et dixit mihi: Sufficit tibi gratia

mea.

mea. Nam uirtus in infirmitate perficitur.

E Caro enim concupiſcit aduerſus ſpiritum, ſpiritus autem aduerſus carnem, &c. *Gala. 5.c*

F ut ſuprà. Nolite locum dare diabolo. *Ephe. 4.e*

G Quia non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus *Ephe. 6.b*

H principes & poteſtates &c. ut ſuprà. Nos autem fratres deſolati à uobis ad tempus, ore, aſpectu, non corde, abundantius feſtinauimus faciem ueſtram uidere cum multo deſiderio, quoniam uoluimus uenire ad uos. Ego quidem Paulus, ſed im- *1. theſ. 2.d*

I pediuit me Satanas. Propterea & ego amplius nõ ſuſtinens, miſi ad cognoſcendam fidem ueſtram: ne forte tentauerit uos is, qui tentat, & inanis fiat labor no- *1. theſ. 3.b*

K ſter. In eo autem, in quo paſſus eſt Chriſtus, & tentatus, potens eſt & eis, qui ten- *Hebr. 2.d*

L tantur auxiliari. Non enim habemus pontificem, qui nõ poteſt compati infirmitatibus noſtris, tentatum autem per omnia *Hebr. 4.d*

M pro ſimilitudine abſq; peccato. Vt non circumueniamur à Satana: nõ enim igno- *2. Cor. 2.e*

N ramus cogitationes eius. Non coronabitur, niſi qui legitimè certauerit. *2. tim. 2.a*

De Oratione. CAP. XXVI.

A SImiliter autem ſpiritus adiuuat infirmitatem noſtram. Nam quid oremus *Roma. 8.e*

ſicut oportet, neſcimus: ſed ipſe ſpiritus
poſtulat pro nobis gemitibus inenarra-
bilibus. Qui autem ſcrutatur corda, ſcit
quid deſideret ſpiritus, quia ſecundum
Deum poſtulat pro ſanctis. Etiam Chri-
1.Co.14.c ſtus interpellat pro nobis. Si orem lin-
gua, ſpiritus meus orat, mens autem mea
ſine fructu eſt. Quid ergo? Orabo ſpiri-
tu, orabo & mente. Pſallam ſpiritu, pſal-
Rom.12.c lam & mente. Orationi ſitis inſtantes.
Ephe.6.c Per omnem orationem & obſecratio-
nem orantes omni tempore in ſpiritu, &
in ipſo uigilantes, in omni inſtantia &
Phil.4.b obſecratione pro omnibus ſanctis. In
omni oratione & obſecratione cum gra-
tiarum actione petitiones ueſtræ innote-
Coloſ.4.a ſcant apud Deum. Orationi inſtate ui-
1.theſ.5.d gilantes in ea in gratiarum actione. Et
1.tim.2.a ſine intermiſsione orate. Obſecro igi-
tur primo omnium fieri obſecrationes,
orationes, poſtulationes, gratiarum a-
ctiones, pro omnibus hominibus, pro
regibus, & omnibus qui in ſublimitate
ſunt conſtituti, ut quietam & tranquillam
uitam agamus in omni pietate & caſtita-
te: hoc enim bonum eſt coram ſaluatore
noſtro Deo. Volo ergo uiros orare in
omni loco, leuantes puras manus ſine ira
& diſceptatione. Similiter & mulieres in
habitu

habitu ornato esse cum uerecundia & so-
I brietate. Christus in diebus carnis suæ *Hebr. 5.b*
preces, supplicationesq; ad eum qui posit
saluum illum à morte facere, cum clamo-
re ualido & lacrymis offerens, exaudi-
K tus est pro sua reuerentia. Vnde & sal- *Hebr. 7.d*
uare in perpetuum potest accedentes per
ipsum ad Deum, semper uiuens ad inter-
L pellandum pro nobis. Introiit in ipsum *Hebr. 9.g*
cælum, ut appareat nunc uultui Dei pro
nobis.

De Spirituali gloriatione, seu gaudio, & consolatione interna, & contra inanem gloriam.

CAPVT XXVII.

A GLoria autem & pax & honor omni *Roma. 2.b*
operanti bonum, Iudæo primum &
B Græco. Gloriamur in spe gloriæ filio- *Rom. 5.a*
rum Dei, non solum autem, sed & gloria-
mur in tribulationibus. Sed & gloriamur
in Deum per IESVM Christum Domi-
num nostrum, per quem nunc reconcilia-
C tionem accepimus. Deus autem repleat *Rom. 15.e*
D uos omni gaudio in credendo. Itaque ne- *1. Cor. 3.d*
mo glorietur in hominibus. Omnia enim
uestra sunt, siue Paulus, siue Apollo, siue
Cephas, siue mundus, siue uita, siue mors,
siue præsentia, siue futura. Omnia ue-
stra sunt, uos autem Christi, Christus
autem

1. Cor. 5. b autem Dei. Non eſt bona gloriatio ue-
ſtra. Neſcitis, quoniam modicum fermen
2. Cor. 1. a ti totam maſſam corrumpit? Deus con-
ſolatur nos in omni tribulatione no-
ut poſsimus & ipſi conſolari eos, qui
omni preſſura ſunt, per exhortatione,
qua exhortamur & ipſi à Deo. Quoniam
ſicut abundant paſsiones Chriſti in no-
bis: ita per Chriſtum abundat conſolatio
noſtra. Siue autem tribulamur pro ueſtra
exhortatione & ſalute, ſiue conſolamur
pro ueſtra conſolatione, ſiue exhortamur
pro ueſtra exhortatione & ſalute, quæ ope
ratur tolerantiam earundem paſsionum,
quas & nos patimur, ut ſpes noſtra firma
ſit pro uobis. Scientes, quoniam ſicut ſo-
cii paſsionum eſtis, ſic eritis & conſola-
tionis. Nam gloria noſtra hæc eſt, teſti-
monium conſcientiæ noſtræ, quòd in
ſimplicitate & ſynceritate Dei, & non in
ſapientia carnali, ſed in gratia Dei con-
uerſati ſumus in hoc mundo, abundan-
tius autem ad uos. Non enim alia ſcribi-
mus uobis, quàm quæ legiſtis, & cogno-
ſcitis. Spero autem quòd uſque in finem
cognoſcetis, ſicut cognoſcitis nos ex par-
te: quia gloria ueſtra nos ſumus, ſicut &
uos noſtra in aduentu domini noſtri Ie-
Rom. 16. c SV Chriſti. Gaudeo igitur in uobis. G
Sciens

H Scientes ergo timorem domini homini- 2.Cor.5.b
bus suademus, Deo autem manifesti sumus. Spero autem & in conscientiis uestris manifestos nos esse. Non iterũ commendamus nos uobis, sed occasionẽ damus uobis gloriandi pro nobis, ut abeatis ad eos qui in facie gloriantur, & non
I in corde. Prædiximus enim, quòd in 2.Cor.7.a
cordibus nostris estis ad cõmoriendum, & ad conuiuendum. Multa mihi fiducia est apud uos, multa mihi gloriatio pro uobis, repletus sum gaudio. Superabundo cõsolatione in omni tribulatione nostra. Nam qui consolatur humiles, consolatus est nos Deus in aduentu Titi. Non solùm in aduentu eius, sed etiam in consolatione, qua consolatus est nos in uobis, referens nobis desiderium uestrum, fletum uestrum, æmulationem pro me, ita ut magis gauderem. Ideo consolati sumus. In consolatione autem nostra abundantius magis consolati sumus super gaudio Titi, quia refectus est spiritus eius ab omnibus uobis. Et si quid apud illum gloriatus sum de uobis, non sum confusus: sed sicut omnia uobis in ueritate locuti sumus, ita & gloriatio nostra, quæ fuit ad Titum, ueritas facta est. Gaudeo quòd
K in omnibus confido in uobis. Notam 2.Cor.8.a
autem

autem facimus uobis fratres gratiam quæ data est mihi in ecclesiis Macedoniæ, quòd in multo experimento tribulationis abundantia gaudii ipsorum fuit, & altissima paupertas eorum abundauit

2. Co. 10. d in diuitias simplicitatis eorum. Nos au- non in immensum gloriamur, sed secundum mensuram regulæ qua mensus est nobis Deus, mensuram pertingendi us- ad uos. Non enim quasi non pertingentes ad uos, superextendimus uos. Vsq; ad uos enim peruenimus in Euãgelio Christi, non in immensum gloriantes in alienis laboribus, spem autem habentes crescentis fidei uestræ, in uobis magnificari secundum regulam nostram in abundantia, etiam in illa quæ ultra uos sunt Euangelizare: non in aliena regula, in his quæ præparata sunt, gloriari. Qui autem gloriatur, in Domino glorietur: Non enim qui seipsum commẽdat, ille probatus est:

2. Co. 11. d sed quem Deus commendat. Iterum dico, ne quis me putet insipientem. Alioquin uelut insipientem accipite me, ut & ego modicum quid glorier. Quod loquor, non loquor secundum Deum, sed quasi in insipientia in hac substantia gloriæ: quoniam multi gloriantur secundum carnem, & ego gloriabor.

quo

quo quis audet, (in insipientia dico) audeo & ego. Hebræi sunt, & ego: Semen Abrahæ sunt, & ego: Israëlitæ sunt, & ego: ministri Christi sunt, & ego, (ut minus sapiens dico) plus ego. Si gloriari oportet, quæ infirmitatis meæ sunt, glo-
N riabor. Libenter igitur gloriabor in in- *2.Cor.12.c*
firmitatibus meis, ut inhabitet in me uir-
O tus Christi. Gaudemus enim quando *2.Cor.13.c*
nos infirmi sumus, uos autem potentes
P estis. Mihi autem absit gloriari nisi in *Gala.6.d*
cruce Domini nostri IESV Christi: per quem mihi mundus crucifixus est, & ego
Q mundo. Quid enim dum omni modo, *Phil.1.c*
siue per occasionem, siue per ueritatem Christus annunciatur: & in hoc gaudeo, sed & gaudebo. Scio enim, quia hoc prouenit mihi in salutem per uestram orationem & subministrationem spiritus IESV Christi, secundum expectationem & spem meam, quia in nullo
R confundor. Sed & si immoler supra sa- *Phil.2.c*
crificium & obsequium fidei uestræ, gaudeo, & congratulator omnibus uobis. Idipsum autem & uos congratulamini mi-
S hi. De cætero fratres gaudete in Domi- *Phil.3.a*
T no. Gaudete in Domino semper, iterum *Phil. 4.a*
dico gaudete, Dominus prope est. Nihil soliciti sitis. Gauisus sum autem in Domino

mino uehementer, quoniam tandem aliquando refloruistis pro me sentire, sicut
1. thes. 3. c & sentiebatis, &c. Quam enim gratiarum actionem possumus Deo retribuere pro uobis in omni gaudio, quo gaudemus propter uos ante Deum nostrum, nocte & die abundantius orantes, ut uideamus faciem uestram, & compleamus ea
1. thes. 5. b quæ desunt fidei uestræ? Propter quod consolamini inuicem. Et consolamini
1. thes. 2. d pusillanimes. Quæ est enim spes nostra, aut gaudium, aut corona gloriæ? Nonne uos ante dominum IESV estis in aduentu eius? Vos enim estis gloria nostra
Phile. 1. b & gaudium. Gaudium enim magnum habui, & consolationem in charitate tua, quia uiscera sanctorum requieuerunt per te frater. Ita frater ego te fruar in domino, refice uiscera mea in Christo.

Contra Loquacitatē, & Otium. CAPVT XXVIII.

1. Cor. 5. d NOn in sermone est regnum Dei, sed in uirtute. Corrumpunt mores bonos
1. Cor. 15. e
2. Cor. 1. c nos colloquia praua. Nunquid leuitate usus sum? Aut quæ cogito, secundum carnem cogito, ut sit apud me Est, & Non? Fidelis autem Deus, quia sermo noster qui fuit apud uos, non est in illo Est, & Non

D &Non:ſed eſt in illo Eſt. Propter quod *Ephe.4.f*
deponentes mendacium,loquimini ueri-
tatem unuſquiſq; cum proximo ſuo:quo-
E niam ſumus inuicē membra. Sed imple- *Ephe.5.d*
mini Spiritu ſancto,loquentes uobiſmet-
ipſis in hymnis & pſalmis & cāticis ſpiri-
F tualibus. Rogaui te ut remaneres Ephe- *1.tim.1.a*
ſi,cum irem in Macedoniam, ut denūtia-
res quibuſdam ne aliter docerent,neq; in-
tenderent fabulis,& genealogiis intermi
natis, quæ quæſtionem præſtant magis
quàm ædificationē, quæ eſt in fide. Nam
quidam aberrantes conuerſi ſunt in uani-
loquiū, uolentes eſſe legis doctores: non
intelligentes neque quæ loquuntur, neq;
G de quibus affirmant. Simul autē & ocio- *1.tim.5.b*
ſæ diſcunt circuire domos. Non ſolùm
ocioſæ, ſed & uerboſæ, & curioſæ lo-
H quentes quæ non oportet. Nam & cùm *2.theſ.3.c*
eſſemus apud uos, hæc denūtiabamus uo-
bis: quoniam ſi quis non uult operari,
nec mādūcet. Audiuimus enim inter uos
quoſdā ambulare inquiete, nihil operan-
tes,ſed curioſe agentes: his autē qui eiuſ-
modi ſunt, denūtiamus & obſecramus in
domino IESV, ut cum ſilentio operātes
I panem ſuum manducent. Ineptas autem *1.tim.4.b*
K & aniles fabulas deuita. Verbum ſanum *ad Ti.2.b*
irreprehēſibile, ut is qui ex aduerſo eſt ue

reatur, nihil habens mali dicere de uobis.

De reformatione interna, & gratiarũ actione, et quibusdã ſpiritualibus exercitiis atq; de ordinatione omnium ad ultimum finem ac curioſitatem. CAP. XXI

rom. 12.a NOlite conformari huic ſeculo, ſed reformamini in nouitate ſpiritus ue-
ſtri: ut probetis quæ ſit uoluntas Dei bo-
1. Cor. 5.b na, & beneplacens, & perfecta. Expurgate ergo uetus fermentum, ut ſitis noua conſperſio, ſicut eſtis azymi. Etenim paſcha noſtrũ immolatus eſt Chriſtus. Itaque epulemur non in fermento ueteri, neque in fermento malitiæ, & nequitiæ: ſed in
1. Co. 10.g azymis ſynceritatis & ueritatis. Siue ergo manducatis, ſiue bibitis, uel aliud quid
2. Cor. 5.c facitis: omnia in gloriam Dei facite. Siue mente excedimus, Deo: ſiue ſobrii ſumus, uobis. Charitas enim Chriſti urget nos.
Ephe. 4.e Renouamini autem ſpiritu mẽtis ueſtræ, & induite nouum hominem, qui ſecundũ Deum creatus eſt in iuſtitia, & ſanctitate
Ephe. 5.d ueritatis. Cantantes & pſallentes in cordibus ueſtris domino, gratias agẽtes ſemper pro omnibus in nomine domini no-
Phil. ul. b ſtri IESV Chriſti, Deo & patri. De...

tero fratres, quæcunq; sunt uera, quæcunque pudica, quæcunque iusta, quæcunque sancta, quæcunq; amabilia, quæcunq; bonæ famæ: si qua uirtus, si qua laus disciplinæ: hæc cogitate, quæ & didicistis, & accepistis, & audistis in me, & uidistis: hæc agite, & Deus pacis erit uobiscum.

H Expoliate uos ueterem hominē cū actibus suis, induentes nouum, eum qui renouatur in agnitionem Dei secundum imaginem eius, qui creauit eum: ubi non est masculus, neque fœmina, Gentilis & Iudæus, circuncisio & præputium, barbarus & Scytha, seruus & liber: sed omnia & in omnibus Christus. Et grati estote, docentes & commonentes uosmetipsos in psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus, in gratia cantantes in cordibus uestris Deo. Omne quodcunque facitis in uerbo aut opere, omnia in nomine Domini nostri IESV Christi gratias agentes Deo & patri per ipsum. *Colos. 3.b*

I In omnibus gratias agite, hęc est enim uolūtas Dei in Christo IESV in omnibus uobis. *1.thes. 5.c*

K Per IESVM ergo offeramus hostiam laudis Deo semper, id est fructum labiorum nostrorum confitentium nomini eius. *Heb. 13.c*

L Qui de tantis periculis eripuit nos. In quē speramus, quoniam & adhuc eripiet, adiuuātibus & *2. Cor. 1.b*

uobis in oratiōibus pro nobis:ut ex mul-
tarum personis facierum, eius quæ in no-
bis est donatiōis, per multos gratiæ a-
2. cor. 4. d tur pro nobis. Omnia enim propter u-
ut gratia abundans per multos in gra-
rum actione abundet in gloriam Dei.

De originali peccato, & eius transfusione. Et de cōparatione gratiæ Christi, ad culpam Adæ. CAP. XXI.

Rom. 5. c PEr IESVM Christum nunc recon-
ciliationem accepimus. Propterea si-
cut per unum hominē peccatum in hunc
mundum intrauit, & per peccatum mors,
& ita in omnes homines mors pertransijt,
in quo omnes peccauerunt. Nam regna-
uit mors ab Adam usque ad Moysen, etiā
in eos qui non peccauerunt in similitudi-
nem præuaricationis Adæ, qui est in for-
ma futuri. Sed non sicut delictum, ita &
donum. Si enim unius delicto multi mor-
tui sunt, multo magis gratia Dei & donū
in gratia uni⁹ hominis IESV Christi in
multis abundabit. Et non sicut per unum
peccatū, ita & donum. Nam iudicium ex
uno in condemnationem: gratia autē ex
multis delictis in iustificationem. Si e-
in unius delicto mors regnauit per u-
mū

multo magis abundantiam gratiæ, & do nationis,& iustitiæ accipientes, in uita regnabunt per unum IESVM Christũ.Igitur ſicut per unius delictũ in omnes homines in condemnationẽ:ſic & per unius iuſtitiam in omnes homines in iuſtificationem uitæ. Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi:ita & per unius obedientiã iuſti conſtituẽtur multi. Vbi autem abundauit delictum, ſuperabũdauit & gratia. Vt ſicut regnauit peccatum in mortem, ita & gratia regnet per iuſtitiam in uitã æternam per IESVM Chriſtũ dominum

B noſtrum. Scimus autem, quòd lex ſpiritualis eſt:ego autem carnalis ſum,uenundatus ſub peccato. Quod enim operor, non intelligo.Non enim quod uolo bonum,hoc ago:ſed quod odi malum, hoc facio.Si autẽ quod nolo illud facio, conſentio legi,quoniam bona eſt. Nunc autem iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum.Scio enim quoniam non habitat in me, hoc eſt in carne mea,bonũ. Nam uelle adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio. Non enim quod uolo bonum hoc facio : ſed quod odi malũ,hoc ago. Si autem quod nolo, illud facio, non ego operor illud, *Rom.17.c*

sed quod habitat in me peccatum. In-
nio igitur legem, uolenti mihi facere
num: quoniã mihi malum adiacet. Co
delector enim legi Dei secũdum inter
rem hominem: uideo autem aliam le
in membris meis repugnantem legi
tis meæ, & captiuantẽ me in legem pe
cati, quæ est in membris meis. Igitur
ipse mẽte seruio legi Dei, carne autẽ
Eph. 2.a peccati. Eramus enim natura filii iræ
1. cor. 15.c cut & cæteri. Quoniam quidem per
minem mors. Et sicut in Adam omnes
moriuntur: ita & in Christo uiuificabun-
Rom. 8 a tur. Nam quod impossibile erat legi, in
quo infirmabatur per carnẽ, Deus filium
suum mittens in similitudine carnis pec-
cati, & de peccato damnauit peccatum in
carne, ut iustificatio legis impleretur in
nobis, qui non secundum carnem ambu-
lamus, sed secundum spiritum. Si autem
Christus in uobis est, corpus quidẽ mor-
tuum est propter peccatum: spiritus uerò
uiuit propter iustificationem.

De triplici Tristitia, laudabili, uituperabili, & indifferenti. CAP. XXXI.

Rom. 9.a VEritatem dico in Christo, nõ men-
tior, testimonium perhibente mi-
con-

conſcientia mea in Spiritu ſancto: quia triſtitia eſt mihi magna & continuus dolor cordi meo, pro fratrib⁹ meis qui ſunt
B Iſraëlitæ. Statui autem hoc ipſe apud me, ne iterũ in triſtitia ueniam ad uos. Si enĩ ego contriſto uos, quis eſt qui me lætificet, niſi qui contriſtatur ex me? Et hoc ipſum ſcripſi uobis, ut nõ cum uenero triſtitiam ſuper triſtitiã habeamus, de quibus oportuerat me gaudere. Cõfidens in omnibus uobis, quia meum gaudium omniũ ueſtrũ eſt. Nam ex multa tribulatione & anguſtia cordis ſcripſi uobis per multas lacrymas non ut cõtriſtemini, ſed ut ſciatis quam charitatem habeam abũdantius in uobis. Si quis autẽ cõtriſtauit, non me contriſtauit, ſed ex parte, ut non
C onerem uos. Quoniam & ſi contriſtaui uos in epiſtola, nõ me pœnitet. Et ſi pœniteret, uidens quòd epiſtola illa (& ſi ad horam) uos contriſtauit. Nunc gaudeo, non quia cõtriſtati eſtis: ſed quia contriſtati eſtis ad pœnitentiã. Contriſtati enĩ eſtis ſecundum Deum, ut in nullo detrimentum patiamini ex nobis. Quæ enim ſecũdum Deum eſt triſtitia, pœnitẽtiã in ſalutem ſtabilem operatur. Seculi autem triſtitia mortẽ operatur. Ecce hoc ipſum ſecundum Deum cõtriſtari uos, quantam

2. Cor. 2. A

2. Cor. 7. C

in uobis operatur ſolicitudiné, ſed defen-
ſionem, ſed indignationem, ſed timorē,
ſed deſiderium, ſed æmulationem, ſed uin-
dictã. In omnibus exhibuiſtis uos inco-
Phil. 2. d taminatos eſſe negotio. Infirmatus
autem Epaphroditus uſq; ad morté. Se
Deus miſertus eſt eius, non ſolum autē
eius, uerũetiam & mei, ne triſtitiã ſup
1. theſ. 4. c triſtitiam haberem. Nolumus autem uos
ignorare de dormiẽtibus, ut nõ cõtriſte-
mini, ſicut & cæteri, qui ſpem nõ habent.

Exhortatio ad laborem pro felicitate & beatitudine ipſa. CAP. XXXII.

Rom. 8. d EXiſtimo, quòd non ſunt condignæ
paſsiones huius temporis ad futurã
gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Nam
expectatio creaturæ reuelationem filio-
rum Dei expectat. Vanitati enĩ creatura
ſubiecta eſt non uolens, ſed propter eum
qui ſubiecit eam in ſpe: quia & ipſa crea-
tura liberabitur à ſeruitute corruptionis
Rom. 13. c in libertaté gloriæ filiorum Dei. Et hoc
ſcientes tempus, quia hora eſt iam nos de
ſomno ſurgere. Nunc enim propior eſt
noſtra ſalus quàm cum credidimus. Nox
pręceſsit, dies auté appropinquauit. Abij-
ciamus ergo opera tenebrarũ, & indua-
mur

mur arma lucis, ſicut in die honeſtè ambulemus. Et induimini dominũ IESVM.
C Quoniam ſcriptum eſt, quòd oculus non uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus his, qui diligunt illũ. Nobis autẽ reuelauit Deus 1. Cor. 2. c
D per ſpiritũ ſuum. Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognoſco ex parte, tunc au 1. cor. 13. d
E tem cognoſcã ſicut et cognitus ſum. Propter quod non deficimus. Id enim quod in præſenti eſt momentaneum, & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur 2. cor. 4. d
F in nobis. Scimus eñ, quoniã ſi terreſtris domus noſtra habitationis diſſoluatur, quòd ædificationẽ ex Deo habemus, domum non manufactam æternam in cælis. 1. cor. 5. a
G Bonum igitur facientes non deficiamus: tempore enim ſuo metemus nõ deficientes. Ergo dum tẽpus habemus, operemur bonum ad omnes, maximè autem ad do Gala. 6. c
H meſticos fidei. Nam quæ mihi fuerũt lucra, hæc arbitratus ſum propter Chriſtũ detrimenta. Propter quem omnia detrimẽtũ feci, & arbitror ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciam, & inueniar in illo non habens meam iuſtitiã, quæ ex lege eſt: ſed illã quæ eſt ex fide IESV Chriſti, quæ ex Phil. 3. b

Deo est iustitia in fide ad cognoscendum illum & uirtuté resurrectionis eius, & societaté passionis illius, configuratus morti eius, si quo modo occurram ad resurre-
Colos.1.b ctioné quæ est ex mortuis. Quoniã D. pater dignos nos fecit in sorté sanct. in lumine, qui eripuit nos de potestate tenebrarũ, & transtulit in regnũ filii dilectionis suæ, in quo habemus redemptio-
Coloss.3.a nem, & remissioné peccatorum. Igitur si cõsurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens. Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terrã. Mortui enim estis, & uita uestra abscondita est cũ Christo in Deo. Cùm autem Christus apparuerit uita uestra, tunc & uos apparebitis cum illo in
1. tim. 6.c gloria. Certa bonũ certamé fidei, apprehende uitam æternã, in qua uocatus es, & confessus bonam cõfessioné corã multis
2.tim.1.c testibus. Scio enim cui credidi, & certus sum, quia potés est depositum meum ser-
2.tim.2.a uare in illum diem. Labora sicut bonus miles Christi IESV. Laborantẽ agricolam oportet primùm de fructibus perci-
2.tim.4.b pere. Ego enim iam delibor, & tempus resolutionis meæ instat. Bonũ certamen certaui, cursum cõsummaui, fidé seruaui. In reliquo reposita est mihi coro-

iusti-

iustitiæ, quã reddet mihi dominus in illa
die iustus iudex. Non solùm autem mihi,
P sed & his qui diligunt nomen eius. Appa- *Tit.2.c.*
ruit enim gratia Dei saluatoris nostri o-
mnibus hominibus, erudiẽs nos, ut abne-
gantes impietatem & secularia desideria,
sobriè & iustè & piè uiuamus in hoc se-
culo, expectantes beatam spem & aduen-
Q tũ gloriæ magni Dei IESV Christi. In- *Hebr.4.a*
gredienur enim in requiẽ eius, qui credi-
dimus. Quemadmodũ dixit: Sicut iuraui
in ira mea, si introibunt in requiẽ meam.
Et quidẽ operibus ab institutione mundi
perfectis. Dixit enim quodã loco de die
septima sic: & requieuit Deus die septima
ab omnibus operibus suis. Et in isto rur-
sum: Si introibunt in requiẽ meam. Quo-
niam ergo superest quosdam introire in
illam, & hi quibus prius annuntiatum est,
non introierunt propter incredulitatem:
iterum terminat diem quendam, hodie, in
Dauid, dicendo: Post tantum temporis,
sicut suprà dictum est: Hodie si uocem
eius audieritis, nolite obdurare corda ue-
stra. Nam si eis IESVS requiem præsti-
tisset, nũquam de alio loqueretur posthac
die. Itaq; relinquitur sabbatismus populo
Dei. Qui enim ingressus est in requiem
eius, etiam requieuit ab operibus suis: sicut

& à suis Deus. Festinemus ergo ingredi in requiem illam, ut ne in idipsum concidat incredulitatis exemplum. Abrahæ

Hebr.6.c namque promittens Deus, quoniam neminem habuit, per quem iuraret maiorem, iurauit per semetipsum, dicens: Nisi benedicens benedicam te, & multiplicans multiplicabo te. Et sic longanimiter ferens adeptus est repromissionem. Homines enim per maiorem se iurant, & omnis controuersiæ eorum finis ad confirmationem est iuramentum. In quo abundantius volens Deus ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilii sui interposuit iusiurandum, ut per duas res immobiles (quibus impossibile est mentiri Deum) fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendum propositam spem.

Hebr.13.c Non enim habemus hîc manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus.

De desiderio dissolutionis, ut sit cum Christo. CAP. XXXIII.

Rom.8.b SCimus, quòd omnis creatura ingemiscit & parturit usque adhuc. Non solùm autem illa, sed & nos ipsi primitias spiritus habentes, & ipsi intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei expectantes redemptionem corporis nostri.

Rom.7.d Infelix

lix ego homo, quis me liberabit de corpo
re mortis huius? Gratia Dei per IESVM
C Christum Dominum nostrum. Ex par- 1.Cor.13.c
te enim cognoscimus, & ex parte prophe
tamus: cùm uenerit quod perfectum est,
D euacuabitur quod ex parte est. Nam & 2.Cor.5.c
in hoc ingemiscimus, habitationem no-
stram quæ de cælo est superindui cupien-
tes: si tamen uestiti & non nudi inuenia-
mur. Nam & qui sumus in hoc taberna-
culo, ingemiscimus grauati, eo quòd no-
limus expoliari, sed superuestiri, ut absor-
beatur quod mortale est à uita. Qui autē
efficit nos in hoc ipsum, Deus, qui dedit
nobis pignus spiritus. Audientes igitur
semper, & scientes quoniā dum sumus in
corpore, peregrinamur à Domino. Per fi-
dem enim ambulamus, & non per speciē.
Audemus autem, & bonam uoluntatem
habemus magis peregrinari à corpore, &
præsentes esse ad Dominum. Et conten-
dimus siue absentes, siue præsentes, pla-
E cere illi. Mihi enim uiuere Christus est, Phili.1.c
& mori lucrum. Quòd si uiuere in car-
nē, hîc mihi fructus operis est, & quid eli-
gam, ignoro. Coartor enim à duobus,
desiderium habens dissolui, & cum Chri-
sto esse, multò enim magis melius. Per-
manere aūt in carne necessarium est pro-

pter

pter uos. Et hoc confidens scio, quia manebo & permanebo omnibus uobis ad profectum uestrum & gaudium fidei: ut gratulatio uestra abundet in Christo Iesu in me, per meum aduentum iterum ad uos.

Heb. 11.c Iuxta fidem autem defuncti sunt isti, non acceptis repromissionibus, sed a longe eas aspicientes, & salutantes, & confitentes, quia peregrini & hospites sunt super terram. Qui enim hæc dicunt, significant se patriam inquirere. Et si quidem illius meminissent de qua exierant, habebant utiq; tempus reuertēdi. Nunc autem meliorem appetunt, id est, cælestem. Ideo non confunditur Deus, uocari Deus eorum. Parauit enim illis ciuitatem.

Contra Idololatriam.

CAPVT XXXIIII.

Rom. 1.c DIcentes se esse sapientes, stulti facti sunt. Et mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & uolucrum, & quadrupedum, & serpentium: qui mutauerunt ueritatem Dei in mendacium, & coluerunt, & seruierunt creaturæ potius quàm creatori, qui est benedictus in secula.

1.Cor.8.a De his quæ idólis immolantur, scimus, quoniam omnes sciētiam habemus.

Et

De eſcis quæ idólis immolantur, ſcimus quia nihil eſt idólum in mundo, & quòd nullus eſt Deus niſi unus. Nam & ſi ſunt qui dicuntur Dii, ſiue in cælo, ſiue in terra: ſiquidem ſunt Dii multi, & domini multi: nobis tamen unus eſt Deus pater, ex quo omnia, & nos in illo: Et unus Dominus IESVS Chriſtus, & nos per ipſum.

C Sed non in omnibus eſt ſcientia. Non ergo idololatræ efficiamini, ſicut quidam ex ipſis. Quemadmodum ſcriptum eſt: Sedit populus manducare, & bibere, & ſurrexerũt ludere. Propter quod chariſsimi, fugite ab idolorum cultura. Non'ne qui edũt hoſtias, participes ſunt altaris? Quid ergo dico? quòd idólis immolatũ ſit aliquid? Aut quòd idólum ſit aliquid? Sed quę immolant Gẽtes, dęmoniis immolãt, & non Deo. Nolo autem uos ſocios fieri dæmoniorum. Non poteſtis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorũ. Non poteſtis menſæ Domini participes eſſe, & menſæ dæmoniorum. An æmulamur Dominum? Nunquid fortiores illo ſumus? *1.Co. 10.b*

D Scitis autem quoniam cùm gentes eſſetis, ad ſimulacra muta prout ducebamini euntes. Ideo notum uobis facio, quòd nemo in ſpiritu Dei loquens dicit anathe- *1.Co. 12.a*

E ma IESV. Sed tunc quidem ignorantes *Gala. 4.b*

Deum,

Deum, iis qui natura non ſunt Dii, ſeruiebatis: nunc autē cùm agnoueritis Deum, imò agniti eſtis ab eo, quomodo conuertimini iterum ad infirma, & egena elementa, quibus denuò ſeruire uultis?

Contra diuerſa uitia hominum.

CAPVT XXXV.

Rom. 1. c INexcuſabiles ſunt, quia cùm cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt: ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum. Propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum, in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora ſua in ſemetipſis. Et ſicut non probauerunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, ut faciant ea quæ non conueniūt: repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, auaritia, nequitia, plenos inuidia, homicidiis, contentione, dolo, malignitate: ſuſurrones, detractores, Deo odibiles, contumelioſos, ſuperbos, elatos, inuentores malorum, parentibus inobedientes, inſipientes, incompoſitos, ſine affectione, abſq; fœdere, ſine miſericordia. Qui cùm iuſtitiam Dei cognouiſſent, non intellexerunt, quoniam qui talia agunt digni ſunt morte: non ſolùm qui faciunt ea, ſed

etiam

B etiam qui consentiunt facientibus. Causati enim sumus Iudæos & Græcos omnes sub peccato esse, sicut scriptum est: Quia non est iustus quisquam, non est intelligens, aut requirens Deum. Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt. Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. Sepulcrum patens est guttur eorum. Linguis suis dolosè agebant, uenenum aspidum sub labiis eorum. Quorum os maledictione & amaritudine plenum est. Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem. Contritio & infelicitas in uiis eorum, & uiam pacis non cognouerunt. Non est timor Dei ante oculos *Rom. 3.b*

C eorum. Si quis qui frater nominatur inter uos, est fornicator, aut auarus aut idólis seruiens, aut maledicus, aut ebriosus: cum huiusmodi ne cibum sumere. Aufer- *1.Cor. 5.d*

D te malum ex uobis ipsis. Nolite errare, neque fornicarii, neque idólis seruientes, neq; adulteri, neque molles, neq; masculorum concubitores, neque fures, neq; auari, neq; maledici, neq; ebriosi, neq; raptores, *1.Cor. 6.b*

E regnũ Dei possidebunt. Non simus concupiscentes malorum, sicut & illi concupierunt: neque fornicemur, sicut quidam ex ipsis fornicati sunt, & ceciderunt uno die uiginti tria milia. Neque tentemus *1.Co. 10.c*

Chriſtum, ſicut quidam eorum tentauerunt, et à ſerpentibus perierunt. Neque murmuraueritis, ſicut quidam eorum murmurauerunt, & perierunt ab exterminatore. Hæc autem omnia in figura contingebant illis, ſcripta ſunt autem ad correptioné noſtram, in quos fines ſeculorum

Ephe.4.f deuenerunt. Iraſcimini, & nolite peccare. Sol non occidat ſuper iracundiam ueſtram. Nolite locum dare diabolo. Et nolite contriſtare Spiritum ſanctum Dei, in quo ſignati eſtis, in die redemptionis. Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blaſphemia, tollatur à uobis

Phi.li.1.c cum omni malitia. Quidam propter inuidiam, & contentionem, quidam autem & propter bonam uoluntatem prædicant Chriſtum, quidam autem ex charitate: ſcientes hoc, quòd in defenſione Euangelii poſitus ſum. Quidam autem ex contentione Chriſtum annunciant non ſinceré, exiſtimantes preſſuram ſe ſuſcitare

Coloſ.3.b uinculis meis. Nunc auté deponite & uos omnia, iram, indignationé, malitiã blaſphemiam, turpem ſermonem de ore ueſtro. Nolite mentiri inuicem. Sciens

2.Tit.1.b hoc, quia iuſto non eſt lex poſita, ſed iniuſtis, & nõ ſubditis, impiis & peccatoribus, ſceleratis & contaminatis, parricidis

& matricidis,homicidis, fornicariis,masculorum concubitoribus,plagiariis,mendacibus,periuris:& si quid aliud sanæ doctrinæ aduersatur,quæ est secũdum Euan-
K gelium gloriæ beati Dei. Spiritus autem manifestè dicit, quia in nouissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorũ,in hypocrisi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium suam conscientiam: prohibentium nubere, & abstinere à cibis, quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & his qui cognouerunt ueritatem. Quia omnis creatura Dei,bona est: & nihil reiiciendum quod cum gratiarũ actione percipitur. Sanctificatur enim *1.tim.4.a*
A per uerbum Dei & orationem. Hoc autẽ scito, quòd in nouissimis diebus instabũt tempora periculosa, & erunt homines seipsos amantes: cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes,ingrati,scelesti,sine affectione, sine pace,criminatores, incontinẽtes,immites, sine benignitate, proditores, tumidi, proterui,uoluptatum amatores magis quàm Dei,habentes speciem quidem pietatis, uirtutem autem eius abnegantes.Et hos deuita. Ex his enim sunt qui penetrant domos,& ca- *2.tim.3.a*

unus ſpiritus, ſicut uocati eſtis in una ſpe
Phili.2.b uocationis ueſtræ. Omnia autem facite
ſine murmurationibus & hæſitationibus
ut ſitis ſine querela, & ſimplices filii De
ſine reprehenſione in medio natio
prauæ & pernicioſæ: inter quos luce
ſicut luminaria in hoc mundo, uerbum
uitæ continentes, ad gloriam meam i
die Chriſti. Quia non in uacuum cucur-
Coloſ.3.b ri, neque in uacuum laboraui. Induite
ergo uos ſicut electi Dei, ſancti & dilecti
uiſcera miſericordiæ, benignitatem, hu-
militatem, modeſtiam, patientiam, ſup-
portantes inuicem, & donantes uobis met
ipſis, ſi quis aduerſus aliquem habet que-
relam: ſicut & dominus donauit uobis,
1.The.4.c ita & uos. Rogamus autem uos fratres,
ut abundetis magis, & operam detis, ut
quieti ſitis: & ut ueſtrum negotium aga-
tis & operemini manibus ueſtris, ſicut
præcepimus uobis. Et ut honeſtè ambu-
letis ad eos, qui foris ſunt, & nullius ali-
1.The.5.c quid deſideretis. Semper gaudete, ſine in-
termiſſione orate. Spiritum nolite extin-
guere, prophetias nolite ſpernere. Omnia
autem probate, quod bonum eſt tenete.
Ab omni ſpecie mala abſtinete uos. Fi-
delis eſt qui uocauit uos, qui etiam faciet.
Fratres orate pro nobis. Salutate fratres
omnes

omnes in osculo sancto. Adiuro uos per dominum, ut legatur epistola hæc omni-
M bus sanctis fratribus. Iuuenilia deside- *2.Ti.2.d*
ria fuge, sectare uerò iustitiam, fidem, charitatem, pacẽ cum his, qui inuocãt dominum de corde puro. Seruum enim domini oportet esse mãsuetum, docibilem, patientem, cum modestia corripientem eos
N qui resistunt ueritati. Discant autem & *Ad ti.3.d*
nostri bonis operibus præesse ad usus ne-
O cessarios, ut non sint infructuosi. Sectare *1.tim.6.c*
iustitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, mansuetudinem.

De Synagoga, & uariis gratiæ donis olim illi collatis, & circuncisione duplici.

CAPVT XXXVII.

A CIrcuncisio quidem prodest, si legem *Roma.2.d*
obserues. Si autem præuaricator legis sis, circuncisio præputium facta est. Si igitur præputium iustitias legis custodiat, nónne præputium illius in circuncisionem reputabitur? Et iudicabit quod ex natura est præputium, legem consummans, te, qui per literam & circuncisionem præuaricator legis es? Non enim qui in manifesto Iudæus est, neque quæ in manifesto circũcisio in carne est. Sed qui

in abſcondito Iudæus eſt, & circunciſio cordis in ſpiritu, nõ litera. Cuius laus nõ

Roma.3.a ex hominibus, ſed ex Deo eſt. Quid ergo amplius eſt Iudæo? Aut quæ utilitas circuncisionis? Multum per omnem modum. Primùm quidem, quia credita ſũt illis eloquia Dei. Quid enim ſi quidam eorum non crediderunt? Nunquid incredulitas illorum fidem Dei euacuabit? Abſit. Qui ſunt Iſraëlitæ, quorum adoptio

Rom.9.a eſt filiorum, & gloria, & teſtamentum, & legiſlatio, & obſequium, & promiſſa: quorum patres, ex quibus Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia Deus

Rom. 11.a benedictus in ſecula, Amen. Dico ergo: Nunquid repulit Deus populum ſuum? Abſit. Nam & ego Iſraëlita ſum, ex ſemine Abraham, de tribu Beniamin. Non repulit Deus plebem ſuam, quam præſciuit. An neſcitis in Helia quid dicit ſcriptura? quemadmodum interpellat Deum aduerſus Iſraël? Domine prophetas tuos occiderunt, altaria tua ſuffoderunt: & ego relictus ſum ſolus, & quærunt animam meam. Sed quid dicit illi diuinum reſponſum? Reliqui mihi ſeptem milia uirorum, qui non curuauerunt genua ſua ante Baal. Sic ergo & hoc tempore reliquiæ ſecũdum electionem gratiæ ſaluæ

factæ

factæ sunt. Si autem gratia, iam non ex
operibus. Alioqui gratia iam nõ est gra-
E tia. Nolo autem uos ignorare fratres, 1.Co.10.a
quoniam patres nostri omnes sub nube
fuerunt,& omnes mare transierunt, & o-
mnes in Moyse baptizati sunt, & in nube
& in mari,& omnes eandem escam spiri-
talem manducauerunt. Et omnes eundem
potum spiritalem biberunt. Bibebant au-
tem de spiritali consequenti eos petra,pe-
tra autem erat Christus. Sed non in pluri-
bus eorum beneplacitum est Deo: nam
prostrati sunt in deserto. Hæc autem in
F figura facta sunt nostri. Nos natura Gala.2.c
Iudæi, & non ex gentibus peccatores.
G Dico enim IESVM Christum mini- Rom.15.b
strum fuisse circũcisionis propter ueritа-
tem Dei, ad confirmandas promissiones.
H Videte Israël secundum carnem. Nos 1.Co.10.d
I enim sumus circuncisio, qui spiritu serui- Phil.3.d
mus Deo,& gloriamur in Christo IESV,
& non in carne fiduciam habentes. Quan
quam & ego habeam cõfidentiam in car
ne. Si quis alius uidetur confidere in car-
ne,ego magis. Circuncisus octaua die,ex
genere Israël,de tribu Beniamin,Hebręus
ex Hebræis, secundum legem Pharisæus,
secundum æmulationẽ persequens eccle-
siam Dei, secundũ iustitiã quæ in lege est

Hebr. 1.a conuersatus sine querela. Multifariè multisq; modis olim Deus loquens patribus in prophetis: nouissimis diebus loquutus

Hebr. 9.a est nobis in filio. Habuit quidem & prius testamentum iustificationes culturæ, & sanctum seculare. Tabernaculum enim factum est primùm, in quo erât cãdelabra & mensa, & propositio panum, quod dicitur sancta. Post uelamen autem secundum tabernaculum, quod dicitur sancta sanctorum, aureum habens thuribulum, & arcam testamenti, circumtectam ex omni parte auro, in qua urna aurea habens manna, & uirga Aaron quæ fronduerat, & tabulæ testamenti, superq; eam Cherubin gloriæ obumbrantia propitiatorium, de quibus non est modo dicendum per singula.

De Ecclesia. CAP. XXXVIII.

Gala. 4 d Illa quæ sursum est Hierusalem, libera est, quæ est mater nostra. Scriptum est enim: Lætare sterilis quæ nõ paris, erumpe, & clama, quę non parturis. Quia multi filii desertæ, magis quàm eius quæ ha-

Ephe. 5.e bet uirum. Christus enim caput est ecclesiæ, ipse saluator corporis eius. Et ecclesia subiecta est Christo, qui dilexit ecclesiam, & semetipsum tradidit pro ea: ut illam sanctificaret, mundans eam lauacro

aquæ

aquæ in uerbo uitæ, ut exhiberet ipse sibi gloriosam ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed ut sit sancta, & immaculata. Nemo inquam carnem suã odio habuit, sed nutrit, & fouet eam, sicut & Christus ecclesiam: quia membra sumus corporis eius, de carne eius, & de ossibus eius. Propter hoc relinquet homo patrem suum, & matrem suã, & adhærebit uxori suæ. Et erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est. Ego autẽ dico in Christo & in ecclesia.
C Hæc tibi scribo, sperans me uenire ad te cito: si autẽ tardauero, ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conuersari, quæ est ecclesia Dei uiui columna, & firmamẽtum ueritatis. *1. Ti. 3. d*
D Et Moyses quidem fidelis erat in tota domo eius, tanquã famulus in testimonium eorum quę dicenda erant. Christus uerò tanquam filius in domo sua, quæ domus sumus nos. *Hebr. 3. a*
E Vos enim estis templũ Dei uiui, &c. ut suprà. *2. Cor. 6. d*
F Non enim accessistis ad tractabilem montem, & accessibilem ignem, & turbinem, & caliginem, & procellam, & tubæ sonitum, & sonum uerborum: Quam qui audierunt, excusauerunt se ne eis fieret uerbum. Non enim portabant quod dicebatur: Et si bestia tetigerit montem, *Heb. 12. e*

lapid

lapidabitur. Et ita terribile erat quod ui-
debatur. Moyses dixit: Exterritus sum, &
tremebundus. Sed accessistis ad Sion mõ-
tem & ciuitatem Dei uiuentis, Hierusa-
lem cælestem, & multorum milium an-
lorum frequentiam, & ecclesiam primi-
uorum, qui scripti sunt in cęlis: & iudicem
omnium Deum, & spiritum perfectorum
iustorum, & testaměti noui mediatorem
IESVM, & sanguinis aspersionem melius
loquentem quàm Abel. Itaque regnum
immobile suscipientes habemus gratiam,
per quam seruiamus placentes Deo.

De efficacia & argumentis prædicationis euangelicæ legis, & de miraculis beati Pauli Apostoli. CAP. XXXIX.

Roma. 1. b NOlo uos ignorare fratres, quia sæ- A
pe proposui uenire ad uos, & pro-
hibitus sum usque adhuc. Græcis & bar-
baris, sapientibus & insipientibus debitor
sum. Itaque in me promptum est, & uo-
Rom. 15. c bis qui Romæ estis, euangelizare. Auda- B
cius autem scripsi uobis fratres, ex parte
tanquàm in memoriam uos reducẽs pro-
pter gratiam quæ data est mihi à Deo, ut
sim minister Christi IESV in gentibus
sanctificans euãgelium Dei, ut fiat obla-
tio gětium accepta, & sanctificata in Spi-
ritu

ritu ſancto. Habeo igitur gloriam in Chriſto IESV ad Deum. Non enim audeo aliquid loqui eorum, quæ per me nō efficit Chriſtus. In obediētiam gentium, uerbo & factis, in uirtute ſignorum & prodigiorū, in uirtute Spiritus ſancti: ita ut ab Hieruſalem per circuitum uſque ad Illyricum repleuerim euangelium Chriſti. Sic autem prædicaui hoc euangelium, non ubi nominatus eſt Chriſtus, ne ſuper alienum fundamentum ædificarem, ſed ſicut ſcriptum eſt: Quibus non eſt annunciatum de eo, uidebunt: & qui non audierunt, intelligerent. Propter quod & impediebar plurimum uenire ad uos. Nunc uerò ulterius locum non habens in his regionibus, cupiditatem autem habens ueniendi ad uos ex multis iam præcedentibus annis: cùm in Hiſpaniam proficiſci cœpero, ſpero quòd præteriens, uideam uos, & à uobis deducar illuc: ſi uobis primum ex parte fruitus fuero. Nunc igitur proficiſcor in Hieruſalem miniſtrare ſanctis. Hoc igitur cùm conſummauero, & aſsignauero eis fructū hunc, per uos proficiſcar in Hiſpaniam. Scio autem quoniam ueniens ad uos, in abundantia benec dictionis euangelii Chriſti ueniam. Et ego cùm ueniſſem ad uos fratres, ueni nō 1. Cor.
per

per sublimitatem sermonis, aut sapientiæ, annuncians uobis testimonium Christi. Non enim iudicaui me scire aliquid inter uos, nisi Christum IESVM, & hunc crucifixum. Et sermo meus & prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ uerbis, sed in ostensione spiritus & uirtutis. Vt fides uestra non sit in sapientia hominum, sed in uirtute Dei.

1. Cor.3.b Dei enim sumus adiutores, Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis. Secundum gratiam quæ data est mihi, ut sapiens architectus fundamentum posui, alius autem superædificat.

1. Cor.9.a alius autem superædificat. Non sum liber? Non sum apostolus? Nónne Christum IESVM Dominum nostrum uidi? Nónne opus meũ uos estis in Domino? Etsi aliis non sum apostolus, nobis tamen sum. Nam signaculum apostolatus

1. Co.15.a mei uos estis in Domino. Notum autem uobis fratres facio euangelium, quod prædicaui uobis, quod & accepistis, in quo & statis, per quod & saluamini: qua ratione prædicauerim uobis, si re-

2. Cor.2.d tinetis, nisi frustra credidistis. Deo autem gratias, qui semper triumphat nos in Christo IESV. Et odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco, quia Christi bonus odor sumus Deo, in i-

in his qui salui fiunt:& in his qui pereunt.
Aliis quidem odor mortis in mortem,
aliis uitæ in uitam. Et ad hæc quis tam
idoneus? Non enim sumus sicut plurimi
adulterantes uerbum Dei: sed ex syncerita-
tate, sicut ex Deo. Corã Deo in Christo
H loquimur. Qui & idoneos nos fecit mi- 2. Cor. 3. b
nistros noui testamẽti, non litera, sed spi-
ritu. Litera enim occidit, spiritus autem
I uiuificat. Quòd si etiam opertum est 2. Cor. 4. a
euangelium nostrum, in his qui pereunt
opertum est: in quibus Deus huius seculi
excæcauit mẽtes infideliũ, ut non fulgeat
illis illuminatio euangelii gloriæ Chri-
sti, qui est imago Dei. Nõ enim nosmet-
ipsos prædicamus, sed IESVM Christum
dominum nostrũ: nos autẽ seruos uestros
K per IESVM. Nã si is qui uenit aliũ Chri- 2. Co. 11. a
stũ prędicat, quẽ nos nõ prędicauimus, aut
aliũ spiritũ accipitis, quẽ nõ accepistis, aut
aliud euãgeliũ quod non accepistis: rectè
pateremini. Existimo enim me nihilo mi
nus fecisse à magnis apostolis. Nam etsi
imperitus sim sermone, nõ tamẽ sciẽtia. In
L omnibus autẽ manifestus sum uobis. Nil 2. Co. 12. d
enim minus feci ab his, qui sunt supra mo
dũ apostoli, tametsi nihil sum. Signa ta-
men apostolatus mei facta sunt super uos
in omni patiẽtia, in signis & prodigiis &
uirtuti

Ph.l.1.b uirtutibus. Scire autem uos uolo fratres, quia quæ circa me ſunt, magis ad profectum euangelii uenerunt: ita ut uincula mea manifeſta fierent in Chriſto in omni prætorio,& in cęteris omnibus: ita ut plures è fratribus in Domino confidentes in uinculis meis, abundantius auderent ſine

1.theſ.1.a timore uerbum Dei loqui. Scientes fratres dilecti à Deo electionem ueſtram: quia euangelium noſtrum non fuit ad uos in ſermone tantũ, ſed & in uirtute, & in Spiritu ſancto, & in plenitudine multa: ſicut ſcitis, quales fuerimus in uobis

1.theſ.1.a propter uos. Exhortatio enim noſtra non de errore, neque de immũditia, neq; in dolo: ſed ſicut probati ſumus à Deo, ut crederetur nobis euãgelium. ita loquimur, non quaſi hominibus placentes, ſed Deo, qui probat corda noſtra. Neque aliquando fuimus in ſermone adulationis, ſicut ſcitis: neque in occaſione auaritiæ: Deus teſtis eſt. Nec quærẽtes ab hominibus gloriam, neque de uobis, neque ab aliis: cùm poſſemus uobis oneri eſſe, ut Chriſti apoſtoli, ſed facti ſumus paruuli

Hebr.2.a in medio ueſtri. Quomodo autem effugiemus, ſi tantam neglexerimus ſalutem? quæ cùm initium accepiſſet enarrari per dominum ab eis qui audierunt, in

in nos confirmata eſt: conteſtante Deo ſignis,& portentis, & uariis uirtutibus,& Spiritus ſancti diſtributionibus, ſecũdum
Q ſuam uoluntatem. Quomodo uerò prædicabunt, niſi mittantur? Sicut ſcriptum eſt: Quàm ſpecioſi pedes euangelizantium pacem,euangelizantium bona! Sed non omnes obediunt Euangelio. Eſaias enim dicit:Domine quis credidit auditui noſtro? Ergo fides ex auditu eſt,auditus autem per Verbum Chriſti.Sed dico,nunquid non audierunt?Et quidẽ in omnem terram exiuit ſonus eorum,& in fines or- *rom. 10.c*
R bis terræ uerba eorum. Euangelium eñ peruenit ad uos, ſicut & in uniuerſo mundo eſt:& fructificat,& creſcit,ſicut in uobis ex ea die qua cognouiſtis & audiſtis gratiã Dei in ueritate: ſicut didiciſtis ex Epaphra chariſsimo cõſeruo noſtro qui eſt fidelis,pro uobis miniſter Chriſti IESV, qui etiã manifeſtauit nobis dilectionem ueſtram in ſpiritu. *Coloſſ. 1. a*

De Gentium uocatione, & Iudæorum excæcatione. De finali quoq; conuerſione eorũ ad Chriſtum. CAP. XL.

A VAſa miſericordiæ præparauit Deus in gloriam, quos & uocauit nõ ſo- *Rom. 9. c*

lùm ex Iudæis, ſed etiam ex Gentibus, Sicut in Oſee dicit: Vocaui non plebem meam, plebem meam. Et non dilectam, dilectam. Et non miſericordiam conſecutam, miſericordiam cõſecutam. Erit in loco, ubi dictũ eſt eis: Non plebs mea uos: ibi uocabuntur filii Dei uiui. Eſaias autem clamat pro Iſraël: Si fuerit numerus filiorum Iſraël tanquam arena maris, reliquiæ ſaluæ fient. Verbum enim conſummans & abbreuians in æquitate: quia uerbum abbreuiatum faciet Dominus ſuper terram. Et ſicut prædixit Eſaias: Niſi dominus ſabaoth reliquiſſet nobis ſemen, ſicut Sodoma facti eſſemus, & ſicut Gomorrha ſimiles eſſemus. Quid ergo dicemus? Gentes quæ non ſequebantur iuſtitiã, apprehenderunt iuſtitiam: iuſticiam autem eam quæ eſt ex fide. Iſraël uerò ſectando legem iuſtitiæ, in legem iuſtitiæ non peruenit. Teſtimonium

rom. 10. a enim illis perhibeo, quòd æmulationem Dei habent: ſed non ſecundum ſciẽtiam. Ignorantes enim Dei iuſtitiam, & ſuam quærentes ſtatuere, iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti. Sed dico: Nunquid Iſraël non cognouit? Primus Moſes dicit: Ego in æmulationem uos adducam in non gentem, in gentem inſipientem, in iram uos mittam.

mittam. Esaias autem audet,& dicit: Inuentus sum à non quærentibus me,palam apparui his qui me non interrogabāt.Ad Israël autem dicit:Tota die expandi manus meas ad populum non credentē, sed
C contradicentē mihi. Quid ergo? Quod *Rom.11.b*
quærebat Israël, hoc non est consecutus, electio autem consecuta est, cæteri uerò excæcati sunt:sicut scriptum est, Dedit illis Deus spiritum compunctionis, oculos ut non uideant,& aures, ut non audiant. usque in hodiernum diem. Et Dauid dicit: Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum,& in captionem,& in scandalum, & in retributionē ipsis.Obscurentur oculi eorum,ne uideant, & dorsum eorū semper incurua.Dico ergo: Nunquid sic offenderunt ut caderent? Absit. Sed illorum delictum,salus est Gentibus, ut illos æmulentur. Quòd si delictum illorum diuitiæ sunt mundi & diminutio eorum diuitiæ Gentium, quanto magis plenitudo eorum? Vobis enim dico Gentibus, quàm diu quidē ego sum apostolus Gentium, ministerium meū honorificabo, si quo modo ad æmulandum prouocē carnem meam, & saluos faciam aliquos ex illis. Si enim amissio eorum reconciliatio est mundi, quæ assumptio nisi uita ex

mortuis? Quod ſi delibatio eſt ſancta, & maſſa. Et ſi radix ſancta, & rami. Quòd ſi aliqui ex ramis fracti ſunt, tu autem cùm oleaſter eſſes, inſertus es in illis, ſocius radicis, & pinguedinis oliuæ factus es: noli gloriari aduerſus ramos. Quòd ſi gloriaris, non tu radicem portas, ſed radix te. Dicis ergo: Fracti ſunt rami, ut ego inſerar. Bene. Propter incredulitatem fracti ſunt, tu autem fide ſtas. Vide ergo bonitatem & ſeueritaté Dei. In eos quidem qui ceciderunt, ſeueritaté, in te autem bonitatem, ſi tamen in bonitate permanſeris. Alioqui & tu excidèris. Sed & illi ſi non permanſerint in incredulitate, inſerentur. Potens eſt enim Deus iterum inſerere eos. Nam ſi tu ex naturali exciſus es oleaſtro, & contra naturam inſertus in bonam oliuam: quanto magis hi ſecundum naturam inſerentur ſuæ oliuæ? Nolo autem uos ignorare fratres myſterium hoc, ut nõ ſitis uobiſipſis ſapientes; quia cæcitas contigit ex parte in Iſraël, donec plenitudo Gentium intraret, & ſic omnis Iſraël ſaluus fieret. Sicut ſcriptum eſt: Veniet ex Sion qui eripiat, & auertat impietatem ab Iacob. Et hoc illis à me teſtamentum, cùm abſtulero peccata eorum. Secundum Euangelium

gelium quidem inimici propter uos, secundum electionem autē charissimi propter patres. Sine pœnitentia enim sunt dona & uocatio Dei. Sicut enim aliquādo uos non credidistis Deo, nunc autem misericordiam consecuti estis propter illorum incredulitatem: Ita & isti nunc non crediderunt in uestram misericordiam, ut & ipsi misericordiam consequantur. Conclusit enim Deus omnia in incredulitate, ut omnium misereatur. O' quam incomprehensibilia sunt iudicia eius!

D Dico autem, gentes super misericordia honorare Deum. Sicut scriptum est: propter hoc confitebor tibi in Gentibus, & nomini tuo cantabo. Et iterum dicit: Lætamini Gentes cum plebe eius. Et iterum: Laudate Dominum omnes gentes, & magnificate eum omnes populi. Et rursum Esaias ait: Erit radix Iesse, & qui exurget regere gentes, & in eum gentes sperabunt. *Rom.15.b*

E Et non sicut Moyses ponebat uelamen super faciem suam, ut non intenderent filii Israël in faciem eius, quod euacuatur: sed obtusi sunt sensus eorum. Vsque in hodiernum enim diem idipsum uelamen in lectione ueteris testamenti manet non reuelatum, quoniam in CHRISTO euacuatur. Sed *2.Cor.3.c*

usque in hodiernum diem cùm legitur
Moyses, uelamen est positum super cor
eorum. Cùm autem conuersi fuerint ad
Ephe.2.c dominum, auferetur uelamen. Memo- F
res estote, quòd aliquando uos gentes
eratis in carne, qui dicebamini præpu-
tium ab ea, quæ dicitur circuncisio in
carne manufacta, qui eratis in tempore
illo sine Christo, alienati à conuersatio-
ne Israël, & hospites testamentorum,
promisionis spem non habentes, & sine
Deo in hoc mundo. Nunc autem in
CHRISTO IESV uos qui eratis ali-
quando longe, facti estis prope in san-
guine Christi. Qui ueniens euangeliza-
uit pacem uobis, qui longe fuistis, & pa-
cem his qui prope. Quoniam per ipsum
habemus accessum ambo in uno spiritu
Ephe.3.a ad Deum patrem. Sicut nunc reuelatũ est G
sanctis apostolis, esse gentes cohæredes,
& concorporales, & comparticipes pro-
1.thes.2.d missionis in Christo IESV, &c. ut suprà. H
Iudæi autem & dominum IESVM occi-
derũt, & prophetas, & nos persecuti sunt:
& Deo non placent, & hominibus aduer-
santur: prohibentes nos gentibus loqui
ut salui fiant, ut impleant peccata sua sem-
per. peruenit autem ira Dei super illos
usque in finem.

De

De diuersis gratiæ donis, ecclesiæ collatis tempore gratiæ sub euangelica lege. CAP. XLI.

A HAbentes autem donationes secundum gratiam, quæ data est nobis, differentes: siue prophetiam secundum rationem fidei, siue ministerium in ministrando, siue qui docet in docendo, qui exhortatur in exhortando, qui tribuit in simplicitate, qui præest in solicitudine, qui miseretur in hilaritate, odiētes malū, adhærentes bono, solicitudine nō pigri. Domino seruiētes, necessitatibus sanctorum communicantes, hospitalitatem sectantes. Idipsum in inuicem sentientes. Si fieri potest, quod ex uobis est, cū omnibus hominibus pacē habentes. Non uosmetipsos defendentes charissimi, sed date B locum iræ. Certus sum autē fratres mei & ego ipse de uobis, quoniam & ipsi pleni estis dilectione, repleti omnes sciētia, C ita ut possitis alterutrum monere. Quia in omnibus diuites facti estis in Deo, in omni uerbo, & in omni scientia, ita ut nihil uobis desit in ulla gratia, &c. ut suprà. D Nescitis quoniam templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in uobis? Si quis autem templum Dei uiolauerit, disperdet

Rom. 12. b *Rom. 15. e* *1. cor. 1. b* *1. Cor. 3. e*

illum Deus. Templum enim Dei sanctū
1.Cor.6.c est,quod estis uos. Et iniqui quidem fui-
stis, sed abluti estis, sed sanctificati estis
sed iustificati estis in nomine domini no-
stri IESV Christi, & in spiritu Dei no-
stri. An nescitis, qm̄ membra uestra te-
plum est Spiritus sancti, qui est in uobis
quem habetis à Deo: & non estis uestri:
Empti enim estis pretio magno. Glorifi-
cate ergo & portate Deum in corpore
1.cor.12.a uestro. De spiritalibus autem nolo uos
ignorare fratres, quia nemo potest dicere
dominus IESVS, nisi in Spiritu sancto.
Diuisiones uerò gratiarum sunt, idem au-
tem spiritus. Et diuisiones ministratio-
num sunt, idem autem dominus. Et diui-
siones operationū sunt, idem uerò Deus
qui operatur omnia in omnibus. Vni-
cuique autem datur manifestatio spiritus
ad utilitatem. Alii quidem per spiritum
datur sermo sapientiæ, alii autem sermo
scientiæ secundum eūdem spiritum, alte-
ri fides in eodem spiritu, alii gratia sani-
tatum in uno spiritu, alii operatio uirtu-
tum, alii prophetia, alii distinctio spiri-
tuum, alii genera linguarum, alii inter-
pretatio sermonum: hæc autem omnia
operatur unus atque idem spiritus, diui-
dens singulis prout uult. Sicut enim cor-
pus

pus unum eſt, & membra habet multa: omnia autem membra corporis, cùm ſint multa, unum corpus ſunt: ita & Chriſtus. Etenim in uno ſpiritu omnes nos in unũ corpus baptizati ſumus, ſiue Iudæi, ſiue gentiles, ſiue ſerui, ſiue liberi, & omnes uno ſpiritu potati ſumus. Nam & corpus non eſt unum membrum, ſed multa. Si dixerit pes, quoniam non ſum manus, non ſum de corpore: non ideo non eſt de corpore? Et ſi dixerit auris, non ſum oculus, non ſum de corpore: non ideo non eſt de corpore? Si totũ corpus oculus, ubi auditus? Si totũ auditus, ubi odoratus? Nunc autem poſuit Deus membra, unumquodque eorum in corpore ſicut uoluit. Quòd ſi eſſent omnia unum membrum, ubi corpus? Nunc autem multa quidem membra, unum autem corpus. Non poteſt autem oculus dicere manui, Opera tua non indigeo. Aut iterum caput pedibus, Non eſtis mihi neceſſarii. Sed multo magis quæ uidentur membra corporis infirmiora eſſe, neceſſariora ſunt. Et quæ putamus ignobiliora membra eſſe corporis, his honorẽ abundantiorem circundamus. Et quæ inhoneſta ſunt noſtra, abundantiorem honeſtatem habent. Honeſta autem noſtra nul-

lius egent. Sed Deus temperauit corpus, ei cui dederat ampliorem tribuendo honorem: ut non sit schisma in corpore, sed in idipsum pro inuicē solicita sint membra. Et si quid patitur unum membrum, cōpatiuntur omnia membra. Siue glorificatur unum membrorū, congaudent omnia membra. Vos autē estis corpus Christi, & membra de membro. Et quosdam quidem posuit Deus in ecclesia. Primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores, deinde Virtutes. Exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes sermonum. Nunquid omnes Apostoli? nunquid oēs Prophetæ? nunquid omnes Doctores? nunquid omnes Virtutes? Nunquid oēs gratiam habent curationum? Nunquid omnes linguis loquuntur? Num omnes interpretantur?

Adhuc de eadē materia, & cōparatione gratiarū adinuicē, atque de modo utendi, & de profectu in ipsis. CAP. XLII.

1. co. 14. a Aemulamini spiritualia, magis autem ut prophetetis. Qui enim loquitur lingua, non hominibus loquitur, sed Deo. Nemo enim audit, spiritu autem loquitur mysteria. Nam qui prophetas,

tat, omnibus loquitur ad ædificationem, ad exhortationem, & consolationem. Qui loquitur lingua, semetipsum ædificat. Qui autem prophetat, ecclesiam Dei ædificat. Volo autem uos omnes loqui linguis, magis autem prophetare. Nam maior est qui prophetat, quàm qui loquitur lingua, nisi fortè interpretetur, ut ecclesia ædificationem accipiat. Nunc autem fratres si uenero ad uos, linguis loquens, quid uobis prodero: nisi uobis loquar, aut in reuelatione, aut scientia, aut prophetia, aut doctrina? Tamen quæ sine anima sunt uocem dantia, siue tibia, siue cithara, nisi distinctionem sonitus dederint: quomodo scietur id quod canitur, aut quod citharizat? Etenim si incertam uocem det tuba, quis præparabit se ad prælium? Ita & uos per linguam, nisi manifestum sermonem dederitis, quomodo scietur id quod dicitur? Eritis enim in aëra loquẽtes. Tam multa utputa genera linguarum sunt in hoc mũdo, & nihil sine uoce est. Si ergo nesciero uirtutem uocis, ero ei cui loquor barbarus, & qui loquitur mihi, barbarus. Et ideo, qui loquitur lingua, oret ut interpretetur. Cæterùm, si benedixeris spiritu, qui supplet uicem idiotæ, quomodo

dicet Amen super tuam benedictionem, quoniam quid dicas, nescit. Nam tu quidem bene gratias agis, sed alter non ædificatur. Gratias ago Deo meo, quòd omnium uestrũ lingua loquor. Sed in ecclesia uolo quinque uerba meo sensu loqui, (ut & alios instruam) quàm decem milia uerborum, in lingua. In lege enim scriptum est, Quoniam in aliis linguis & aliis labiis loquar populo huic, & nec sic exaudient me, dicit Dominus. Itaque linguæ in signum sunt, non fidelibus, sed infidelibus. Prophetiæ autem non infidelibus, sed fidelibus. Si autem cõueniat uniuersa ecclesia in unum, & omnes linguis loquantur, intrent autem idiotæ, aut infideles: non'ne dicent, quòd insanitis? Si autem omnes prophetent, intret autem aliquis infidelis, aut idiota, conuincitur ab omnibus, iudicatur ab omnibus. Occulta enim cordis eius manifesta fiunt. Et ita cadens in faciem adorabit Deum, pronuntians quòd uerè Deus in uobis sit. Quid ergo est fratres? Cùm conuenitis, unusquisque uestrum psalmum habet, doctrinam habet, apocalypsim habet, linguam habet, interpretationem habet: omnia ad ædificationem fiant. Siue lingua quis loquitur, secundum duos, aut ut multum

tum

tum tres, & per partes: & unus interpretetur. Si autem non fuerit interpres, taceat in ecclesia. Sibi autem loquatur, & Deo. Prophetæ duo aut tres dicant, cæteri diiudicent. Quòd si alii reuelatum fuerit sedenti, prior taceat. Potestis enim per singulos prophetare, ut omnes discant, & omnes exhortentur. Et spiritus prophetarum, prophetis subiecti sunt. Itaq; fratres, æmulamini prophetare, & loqui linguis
B nolite prohibere. Deo autem gratias, qui dedit nobis uictoriam per Dominum no- *1.Co.15. g*
C strum IESVM Christum. Qui autem confirmat nos uobiscum in Christo, & qui unxit nos, Deus: & qui signauit nos, & dedit pignus spiritus in cordibus no- *2.Cor.1. d*
D stris. Si autem uos Christi, ergo semen Abrahæ estis, secundum promissionem *Gala.3. d*
E hæredes. Quoniam autem estis filii Dei, misit Deus spiritum filii sui in corda uestra, clamantem: Abba, Pater. Itaque iam non est seruus, sed filius. Quòd si filius, & *Gala.4. a*
F hæres per Deum. Quicunque enim spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei. Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritũ adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba, Pater. Ipse enim Spiritus, testimoniũ reddit spiritui nostro, quòd sumus filii Dei. Si *Rom.8. c*

autem

autem filii, & hæredes. Hæredes quid
Dei, cohæredes autem Christi. Si ta
Gala.4.d cõpatimur, ut et simul glorificemur.
itaq; fratres, secundum Isaac promis
filii sumus. Sed quomodo tunc, qui
dum carnem natus fuerat, persequ
eum, qui secundum spiritum: ita & n
Sed quid dicit scriptura? Eiice anc
& filium eius. Non enim erit hæres
ancillæ cum filio liberæ. Itaq; fratres, no
sumus ancillæ filii, sed liberæ: qua liberta
Christus nos liberauit.

De excellentia supernorum charismatum, Christi fidelibus concessorum, præsertim in primitiua ecclesia. CAP. XLIII.

Ephe.1.a BEnedictus Deus & pater Domini nostri IESV Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spiritali, in cælestibus, in Christo IESV in laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificauit nos in dilecto filio suo, in quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum, secundum diuitias gratiæ eius. In quo & uos cùm audiuiss uerbum ueritatis Euangelium salutis ...stræ, in quo & credentes signati esti... ritu promissionis sancto: qui est pig... hære...

hæreditatis nostræ, in redemptionem ac-
B quisitionis, in laudem gloriæ ipsius. Deus *Ephe. 2. b*
enim, qui diues est in misericordia, per nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, cùm essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos Christo, cuius gratia estis saluati, & resuscitauit & consedere fecit in cælestibus in Christo IESV, ut ostenderet in seculis superuenientibus abundantes diuitias gratiæ suæ, in bonitate super nos in Christo IESV. Ergo iam non estis hospites, & aduenæ, sed estis ciues sanctorum & domestici Dei, superædificati super fundamentum apostolorum & prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo IESV, in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino. In quo & uos ædificamini in
C habitaculum Dei in Spiritu sancto. Vni- *Ephe. 4. b*
cuique autem nostrum data est gratia, secundum mensuram donationis Christi. Propter quod dicit: Ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios uerò Euangelistas, alios autem Pastores & Doctores, ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi: donec oc-

curra

curramus omnes in unitatẽ fidei & agnitionis filii Dei, in unum perfectũ, in men-
1.The.1.d suram ætatis plenitudinis Christi. Et uos facti estis forma omnibus credentibus. Nam in omni loco fides uestra, quæ ad Deum, perfecta est: ita ut non sit uobis necesse quicquam loqui. Ipsi enim de uobis annuntiant, qualem introitum habuerimus ad uos, & quomodo conuersi estis ad Deum à simulacris, seruire Deo uero & uiuo: & expectare filium eius de cælis, quem suscitauit ex mortuis IESVM, qui
1.The.2.c eripuit nos ab ira uentura. Ideo & nos E agimus gratias Deo sine intermissione, quoniam cum accepistis à nobis uerbum auditus Dei, accepistis illud non ut uerbum hominum, sed (sicut uerè est) uerbum Dei: qui operatur in uobis, qui cre-
1.tim.1.d didistis. Superabundauit autem gratia Domini nostri IESV Christi cum fide & dilectione, quæ est in Christo IESV.
2.tim.1.c. Deus nos liberauit, & uocauit uocatione sua sancta: non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum, & gratiam quæ data est nobis in Christo IESV ante tempora secularia, manifestata autem nunc per illuminationem saluatoris nostri IESV Christi. Qui destruxit quidem mortem, illuminauit autem ui-

tam

tam,& incorruptionem per Euangelium, in quo positus sum ego prædicator, & apostolus, & magister Gentiū. Ob quam causam etiam hæc patior, sed non con-
H fundor. Quoniam Christus dedit semet- *Tit.2.d*
ipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, ut mūdaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum ope-
I rum. Eramus enim & nos aliquando in- *Tit.3.a*
sipientes, increduli, errantes, seruientes desideriis & uoluptatibus uariis, in malitia & inuidia agentes, odibiles, odientes inuicem. Cùm autem benignitas & humanitas apparuit saluatoris nostri, non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam suam saluos nos fecit, per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abundè, per IESVM Christum saluatorem nostrum, ut iustificati gratia ipsius, hæredes simus, secundum spem ui-
K tæ æternæ. Habemus enim altare, de quo *Heb.13.b*
edere non habent potestatem qui tabernaculo deseruiunt. Quorum enim animalium infertur sanguis pro peccato in sancta per Pontificem, horum corpora cremantur extra castra. Propter quod & IESVS, ut sanctificaret per sanguinem suum populum, extra portam passus est.

De Prædestinatione & Præscientia Dei. CAP. XLIIII.

Rom. 8. e SCimus autem quoniam diligentibus Deum, omnia cooperãtur in bonum his qui secundum propositum uocati sunt sancti. Nam quos præsciuit, & prædestinauit cõformes fieri imaginis filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinauit, hos & uocauit: & quos uocauit, hos & iustificauit: quos autem iustificauit, illos & magnificauit. Quid ergo dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui etiam proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo nobis omnia donauit? Quis accusabit aduersus electos Dei? Deus qui iustificat. Quis est qui condemnet? Christus IESVS qui mortuus est, imò qui & resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro

Rom. 9. b nobis. Non autem quòd exciderit uerbum Dei. a

Non enim omnes qui ex Israël sunt, ii sunt Israëlitæ: Neque qui semen Abrahæ sunt, omnes filii: sed in Isaac uocabitur tibi semen. Id est, non qui filii sunt carnis, ii filii Dei: sed qui filii sunt promissionis, æstimantur in semine. Promissionis enim uerbum, hoc est: Secundum

dum hoc tempus ueniam, & erit Saræ filius. Non solùm autem illa, sed & Rebecca ex uno concubitu habens, Isaac patris nostri. Cùm enim nondum nati fuissent, aut aliquid egissent boni aut mali: ut secundum electionem propositum Dei maneret, & non ex operibus, sed ex uocatione, dictum est ei: Quia maior seruiet minori. sicut scriptum est: Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Quid ergo dicemus? Nunquid iniquitas est apud Deum? Absit. Moysi enim dixit: Miserebor cui misereor, & misericordiam præstabo, cui miserebor. Igitur non uolentis, neq; currentis, sed miserentis est Dei. Dicit enim scriptura Pharaoni: Quia in hoc ipsum excitaui te, ut ostendam in te uirtutem meam, & annuntietur nomen meum in uniuersa terra. Ergo cuius uult miseretur, & quem uult indurat. Dicis itaque mihi: Quid adhuc queritur? Voluntati eius quis restitit? O homo, tu quis es, ut respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit, Quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere, aliud quidem uas in honorem, aliud uerò in contumeliam? Quòd si Deus uolens ostendere iram suam, & notam facere potentiam suam, sustinuit in

multa patientia uasa iræ apta in interitum:
ut ostenderet diuitias gloriæ suæ in uasa
misericordiæ, quę præparauit in gloriam.
Rom. 11. a O altitudo diuitiarum sapientiæ & scien- C
tiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt
iudicia eius, & inuestigabiles uiæ eius.
Quis enim cognouit sensum Domini?
aut quis consiliarius eius fuit? Aut quis
prior dedit illi, & retribuetur ei? Quo-
niam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt
omnia. Ipsi honor & gloria in secula se-
1. Cor. 1. d culorum, Amen. Videte enim uocatio- D
nem uestram, fratres, quia non multi sa-
pientes secundum carnem, non multi pru-
dentes, non multi nobiles sunt inter uos:
sed quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, ut
confundat fortia. Et ignobilia mundi, &
contemptibilia elegit Deus, & ea quæ
non sunt, ut ea quæ sunt destrueret: ut
non glorietur omnis caro in conspectu
eius. Fidelis Deus per quem uocati estis
Ephe. 1. a in societatem filii eius. Deus enim nos 5
elegit in Christo ante mundi constitu-
tionem, ut essemus sancti, & immacu-
latî in conspectu eius, in charitate: qui
prædestinauit nos in adoptionem filio-
rum Dei per IESVM Christũ in ipsum
secundum propositum uoluntatis suæ, in
laudem gloriæ gratiæ suæ. In quo & nos
sorte

ſorte uocati ſumus, prædeſtinati ſecundum propoſium eius, qui omnia operatur ſecundum conſilium uoluntatis ſuæ, ut ſimus in laudem gloriæ eius, nos qui
F antè ſperauimus in Chriſto. Ipſius enim ſumus factura, creati in Chriſto IESV, in operibus bonis, quæ præparauit Deus *Ephe.2.b*
G ut in illis ambulemus. Deus eſt enim qui operatur in uobis uelle & perficere *Phili.2.b*
H pro bona uoluntate. In magna autem domo, non ſolùm ſunt uaſa aurea, & argentea, ſed & lignea, & fictilia, & quædã quidem in honoré, quędam uerò in contumeliam. Si quis ergo emundauerit ſe ab iſtis, erit uas in honorem, ſanctificatum, & utile Domino, ad omne opus bonum paratum. *2.Ti.2.d*

De Iuſtitia Dei & rigore diuini iudicii contra iniquos.

CAPVT XLV.

A REuelatur ira Dei de cælo ſuper omnem impietatem & iniuſtitiam hominum, eorum qui ueritatem Dei in iniuſtitia detinent: quia quod notum eſt Dei, manifeſtũ eſt in illis, Deus enim illis *Rom.1.b*
B reuelauit. Qui reddet unicuique ſecundum opera eius: iis quidem, qui ſecundum *Rom.2.a*

patientiam boni operis, gloriã, & honorem, & incorruptionem quærunt, uitam
æternam. Iis autem, qui sunt ex conten-
tione, & non acquiescunt ueritati, cre-
dunt autem iniquitati: ira, & indigna-
Tribulatio, & angustia, in omnem ani-
mam hominis operantis malum, Iudæi
primum et Græci. Non enim est acceptio
personarum apud Deum. Quicunq; enim
sine lege peccauerunt, sine lege peribunt.
Et quicunque in lege peccauerunt, per le-
gem iudicabuntur. Non enim auditores
legis iusti sunt apud Deum, sed factores
legis iustificabuntur. Cùm enim gentes,
quæ legem non habent, naturaliter ea quæ
legis sunt faciunt: eiusmodi legem non
habentes sibiipsi sunt lex: qui ostendunt
opus legis scriptum in cordibus suis, testi-
monium reddente illis conscientia ipso-
rum, & inter se inuicem cogitationum,
accusantium aut etiam defendentium, in
die cum iudicabit Deus occulta homi-
num secundum Euangelium meum per
Rom.3.a IESVM Christum. Est autem Deus ue-
rax, omnis autem homo mendax, sicut
scriptum est: Vt iustificeris in sermonibus
tuis, & uincas cùm iudicaris. Si autem ini-
quitas nostra iustitiam Dei commendat,
quid dicemus? Nunquid iniquus est Deus,
qui

qui infert iram?(secundum hominem dico) Absit. Alioqui quomodo iudicabit Deus hunc mundum? Si enim ueritas Dei in meo mendacio abundauit in gloriam ipsius, quid adhuc ego tanquam peccator iudicor? Et non, sicut blasphemamur, & sicut aiunt nos quidam dicere, Faciamus mala, ut ueniant bona: quorum damnatio iusta est. Quid igitur? præcellimus eos? Nequaquam. Causati enim sumus, &c. ut
D suprà. Vnusquisque propriam mercedem accipiet, secundum suum laborem. 1. Cor. 3.b
Vt sapiens architectus fundamentum posui, unusquisque autem uideat, quomodo superædificet: Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est IESVS Christus. Si quis autem superædificet super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, lignum, fœnum, stipulam, uniuscuiusque opus manifestum erit. Dies enim domini declarabit, quia in igne reuelabitur. Et uniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit. Si cuius opus manserit quod superædificauit, mercedem accipiet. Si cuius opus arserit, detrimentum patietur. Ipse autem saluus erit, sic tamen
E quasi per ignem. Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut 2. Cor. 5.b

referat unusquisq; propria corporis prout
Gala. 2.b gessit, siue bonum siue malum. Nam
2. thes. 1.c Deus personam hominis non accipit. Iustum est apud Deum, retribuere tribulationem his, qui uos tribulant, & uobis tribulamini requiem uobiscum in reuelatione domini IESV de cælo cum angelis uirtutis eius, in flãma ignis, dantis uindictam in his qui non nouerunt Deum, & qui non obediunt Euangelio domini nostri IESV Christi. Qui pœnas dabunt in interitu æternas, à facie Domini & à gloria uirtutis, cùm uenerit glorificari in sanctis suis, & admirabilis fieri in omnibus qui crediderunt, quia creditum est testimonium nostrũ super uos in die illo.

2. tim. 5.d Quorundam hominum peccata manifesta sunt, præcedentia ad iudicium, quorundam autem & subsequuntur. Similiter & facta bona manifesta sunt, & quæ aliter
Hebr. 3.b se habent, abscondi non possunt. Propter quod offensus fui, dicit Spiritus sanctus, generationi huic, & dixi, Semper hi errant corde. Ipsi uerò non cognouerunt uias meas. quibus iuraui in ira mea: Si introibunt in requiem meam. Quidã enim audientes exacerbauerunt, sed non uniuersi, qui profecti sunt ab Aegypto per Moysen. Quibus autem offensus est quadraginta

draginta annis? Nónne illis, qui peccauerunt, quorum cadauera prostrata sunt in deserto? Quibus autem iurauit, nõ introire in requiem ipsius, nisi illis, qui increduli fuerũt? Et uidemus, quia non potuerunt introire propter incredulitatem.

K Terribilis quædam expectatio iudicii, *Heb.10.e* & ignis æmulatio, quæ consumptura est aduersarios. Scimus enim qui dixit: Mihi uindictam, & ego retribuam. Et iterum: Quia iudicabit dominus populum suum. Adhuc enim modicum aliquãtulum qui

L uenturus est, & nõ tardabit. Qui & illu- *1.Cor.4.a* minabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, &c. ut suprà.

Dei ineffabili misericordia Dei super genus humanum. Et de pia hominum redẽptione per Christum.

CAPVT XLVI.

A IVstificati gratis, per gratiam Dei, per *Roma.3.e* redemptionem quæ est in Christo IESV: quem proposuit Deus propitiatorem, per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem iustitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum, in sustentatione Dei, ad ostensionem iustitiæ eius, in hoc tempore: ut sit ipse iustus,

& iustificans eum qui ex fide est Domini
Rom. 4. d nostri IESV Christi, qui traditus est
propter delicta nostra, & resurrexit pro-
Roma. 5. b pter iustificationem nostram. Vt quid
enim Christus cùm adhuc infirmi esse-
mus secundum tempus, pro impiis mor-
tuus est? Vix enim pro iusto quis moritur,
nam pro bono forsitan quis audeat mo-
ri. Commendat autem charitatem suam
in nobis Deus, quoniam cùm adhuc pec-
catores essemus secundum tempus, Chri-
stus pro nobis mortuus est. Multo igitur
magis, iustificati nunc in sanguine ipsius,
salui erimus ab ira per ipsum. Si enim
cùm inimici essemus, reconciliati sumus
Deo, per mortem filii eius: multo magis
reconciliati salui erimus in uita ipsius.
2. Cor. 5. c Aestimantes hoc, quoniam si unus pro
omnibus mortuus est, ergo omnes mor-
tui sunt. Et pro omnibus mortuus est
Christus, ut & qui uiuunt, iam non sibi
uiuant, sed ei qui pro ipsis mortuus est,
& resurrexit. Si qua ergo in Christo no-
ua creatura, uetera transierunt, ecce fa-
cta sunt omnia noua. Omnia autem ex
Deo, qui reconciliauit nos sibi per Chri-
stum, & dedit nobis ministerium recon-
ciliationis. Quoniam quidem Deus erat
in Christo, mundum recócilians sibi, non
reputans

reputans illis delicta ipsorum. Et posuit in nobis uerbum reconciliationis. Pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos, obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo. Eum qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit: ut nos efficeremur iu-
E stitia Dei in ipso. Qui dedit semetipsum *Gala. 1. a*
pro peccatis nostris, ut eriperet nos de præsenti seculo nequam, secundũ uoluntatem Dei & patris nostri, cui est gloria
F in secula seculorum, Amen. Christus nos *Gala. 3. b*
redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum. Quia scriptum est: Maledictus omnis qui pendet in ligno. Vt in gentibus benedictio Abrahæ fieret in Christo IESV: ut pollicitationem spiri-
G tus accipiamus per fidem. Christus enim *Ephe. 2. d*
est pax nostra, qui fecit utraque unum. Et medium parietem maceriæ soluens, inimicitias in carne sua, legem mandatorum, decretis euacuans: ut duos condat in semetipso in uno nouo homine, faciens pacem, ut reconciliet ambos in uno corpore Deo, per crucem interficiẽs inimicitias in semetipso, & ueniens euangelizauit pacem, nobis qui longe fuistis, & pacem his qui prope. Quoniam per ipsum habemus accessum ambo in uno spiritu ad patrem.

Quia

Colos.1.c Quia in Christo complacuit omnem plenitudiné inhabitare, & per eum reconciliari omnia, in ipsum pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in cælis, siue quæ in terris. Et uos cùm essetis aliquando alienati & inimici sensu, in operibus malis: nunc autem reconciliauit in corpore carnis eius per mortem, exhibere uos sanctos & immaculatos, & irreprehensibiles coram ipso. *Colos. 2.c* Et uos cùm essetis mortui in delictis, & præputio carnis uestræ, conuiuificauit cum illo, donans uobis omnia delicta, delens quod aduersum nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis. Et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci: expolians principatus & potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso. *1.Ti.1.c* Fidelis sermo, & omni acceptione dignus, quia IESVS Christus uenit in hunc mundum peccatores saluos facere. *1.tim.2.b* Vnus enim Deus, unus & mediator Dei & hominum, homo Christus IESVS, qui dedit redemptioné semetipsum pro omnibus: cuius testimonium suis temporibus confirmatum est, in quo sum ego prædicator & apostolus. Veritaté dico in Christo, & non mentior, doctor gentium in fide & ueritate.

De

De uariis Christi mysteriis, utpote incarnatione, natiuitate, humiliatione, paupertate, passione, resurrectione, apparitione, ascensione & glorificatione ipsius: atque de suæ salutiferæ passionis effectibus.

CAPVT XLVII.

A EVm autem qui modico quàm angeli minoratus est, uidemus IESVM propter passionem mortis, gloria & honore coronatũ, ut gratia Dei pro omnibus gustaret mortem. Decebat enim eum, propter quẽ omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, autorẽ salutis eorum per passionem consummari. Qui enim sanctificat, & qui sanctificantur, ex uno omnes. Propter quam causam nõ confunditur fratres eos uocare, dicens: Nuntiabo nomen tuum fratribus meis, in medio ecclesiæ laudabo te. Et iterũ: Ego ero fidens in eũ. Et iterum: Ecce ego & pueri mei, quos dedit mihi Deus. Quia ergo pueri communicauerunt carni & sanguini, & ipse similiter participauit eisdem: ut per mortem destrueret eũ, qui habebat mortis imperiũ, id est diabolũ: & liberaret eos, qui timore mortis per totam uitam obnoxii erant seruituti. *Hebr. 2.c*

seruituti. Nusquam enim angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit. Vnde debuit per omnia fratribus similari, ut misericors fieret, & fidelis pontifex ad Deum, ut repropitiaret delicta populi.

Hebr. 9.c Christus autem asistens pontifex futurorum bonorum per amplius & perfectius tabernaculum non manufactum, id est non huius creationis, neque per sanguinem hircorum & uitulorum, sed per proprium sanguinem introiuit semel in sancta, æterna redemptione inuenta. Si enim sanguis hircorum & uitulorum, & cinis uitulæ aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis: quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad seruiendum Deo uiuenti? Et ideo noui testamenti mediator est, ut morte intercedente in redemptionem earum præuaricationum, quæ erant sub priore testaméto, repromissionem accipiant qui uocati sunt æternæ hereditatis. Vbi enim testamentum, mors necesse est intercedat testatoris. Testamentum enim in mortuis confirmatum est. Alioqui nondum ualet, dum uiuit qui testatus est. Vnde nec primum quidem

dem ſine ſanguine dedicatum eſt. Lecto enim omni legis mandato à Moyſe uniuerſo populo, accipiens ſanguinem hircorum & uitulorum cum aqua & lana coccinea & hyſſopo, ipſum quoq; librũ, & uniuerſum populum aſperſit dicens: Hic eſt ſanguis teſtamenti, quod mandauit ad uos Deus. Etiam tabernaculum & omnia uaſa miniſterii ſanguine ſimiliter aſperſit, & omnia pene mundantur in ſanguine ſecundum legem, & ſine ſanguinis effuſione non fit remiſsio. Neceſſe eſt ergo exemplaria cæleſtiũ his mundari, ipſa autem cæleſtia melioribus hoſtiis quàm iſtis. Non enim in manufacta ſancta IESVS introiit exemplaria uerorum: ſed in ipſum cælum, ut appareat uultui Dei pro nobis. Neque ut ſæpe offerat ſemetipſum, quemadmodum pontifex intrat in ſancta per ſingulos annos in ſanguine alieno. Alioqui oportebat eũ frequenter pati, ab origine mundi. Nunc autem ſemel in conſummatione ſeculorum, ad deſtructionem peccati, per hoſtiam ſuam apparuit. Et quemadmodum ſtatutum eſt hominibus ſemel mori, poſt hoc autẽ iudicium: ſic & Chriſtus ſemel oblatus eſt ad multorum exhaurienda peccata. Secundo ſine peccato apparebit expectantibus ſe

in

Rom. 7. a in ſalutem. Nihil ergo damnationis eſt his qui ſunt in Chriſto IESV, qui non ſecundum carnem ambulant. Nam Deus filium ſuum mittens in ſimilitudinis peccati, de peccato damnauit peccatum in carne, &c. ut ſuprà. Tradidi
1. Co. 15. a enim imprimis uobis, quod & accepi quoniã Chriſtus mortuus eſt pro peccatis noſtris, ſecundum ſcripturas, & quia ſepultus eſt, & quia reſurrexit tertia die ſecundum ſcripturas. Et quia uiſus eſt Cephæ, & poſt hoc undecim, deinde uiſus eſt plus quàm quinquaginta fratribus ſimul: ex quibus multi manent uſque adhuc, quidam autem dormierunt. Deinde uiſus eſt Iacobo, deinde apoſtolis omnibus.
2. tim. 2. b Nouiſsime autem omniũ tanquam abortiuo uiſus & mihi. Itaque memor eſto Dominum noſtrum IESVM Chriſtum, reſurrexiſſe à mortuis, ex ſemine Dauid, ſecundum euangelium meum, in quo laboro uſque ad uincula, quaſi male operans: ſed uerbum Dei non eſt alligatum.
Gal. 4. a Nam ubi uenit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum factum ex mulieri, factum ſub lege, ut eos qui ſub lege erant redimeret, & ut adoptionem filiorum
2. Cor. 8. b reciperemus. Scitis enim gratiam domini noſtri IESV Chriſti, quoniam propter

pter uos egenus factus est, cùm esset diues, ut illius inopia uos diuites essetis.
H Vbi præcursor pro uobis introiit IESVS. secundum ordinem Melchisedech *Heb.6.d*
I pontifex factus in æternum. Quòd autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit? Primùm in inferiores partes terræ. Qui descendit, ipse est qui & ascendit super omnes cælos, ut adimpleret omnia. *Eph. 4.b*
K Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo: sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus ut homo. Humiliauit semetipsum, factus obediens usq; ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen quod est super omne nomen: ut in nomine IESV omne genu flectatur, cælestium, terrestrium & infernorum. Et omnis lingua confiteatur, quia Dominus IESVS CHRI- *Phil.2.a*
L STVS in gloria est Dei patris. Et manifestè magnum pietatis est sacramentum: quod manifestatum est in carne, iustificatum est in spiritu, apparuit angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria. *1. tim.3.d*

Quòd Christus est caput ecclesiæ, non solùm militantis, sed etiã triumphantis. Et de mystica ecclesiæ unitate. *Atque* de excellentia & præconiis Christi. CAP. XLVIII.

rom. 12.a Dico omnibus, nõ plus sapere quàm oportet: & unicuiq;, sicut Deus diuisit mensuram fidei. Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundẽ *actum habẽt*: ita multi unum corpus sumus in *Christo*,
1.cor.12.b singuli autẽ alter alterius membra. Sicut B enim corpus unum est, & multa membra
Gala. 3.c habet, &c. ut suprà. Non est Iudæus neq; C Græcus, non est seruus neq; liber, non est masculus neq; fœmina. Omnes enim uos
Ephe.1.d unum estis in Christo IESV. Quẽ Deus D constituit ad dexteram suam in cælestibus, super omnẽ principatum, & potestatem, & uirtutem, & dominationem, & omne nomen quod nominatur, nõ solùm in hoc seculo, sed & in futuro: & omnia subiecit sub pedibus eius. Et ipsum dedit caput supra omnẽ ecclesiam, quæ est corpus ipsius, plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimpletur.
Eph. 4.d Qui est caput Christus, ex quo totum corpus compactũ & connexum per omnẽ iuncturam subministrat

nistrationis secundũ operationẽ in mensuram uniuscuiusq; membri, augmentum corporis facit in ædificationẽ sui in charitate.
F Nam Christus est caput ecclesiæ, ipse Saluator corporis eius. *Ephe. 5.e*
G Qui est imago Dei inuisibilis, primogenitus omnis creaturæ. *Coloss. 1.c* Quia in ipso condita sunt uniuersa, quæ in cælis & in terra, uisibilia, etiam inuisibilia, siue throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates: omnia per ipsum & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant: & ipse caput corporis ecclesiæ, qui est principiũ, primogenitus ex mortuis: ut sit in omnibus ipse primatum tenens.
H Quia in ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. *Coloss. 2.b* Et estis in illo repleti, qui est caput omnis principatus & potestatis.
I Non enim angelis subiecit Deus orbẽ terræ futurum, de quo loquimur. *Hebr. 2.b* Testatus est autem in quodam loco quis, dicẽs: Quid est homo, quòd memor es eius: & filius hominis, quoniam uisitas eum? Minuisti eum paulominus ab angelis, gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuũ tuarũ. Omnia subiecisti sub pedibus eius. In eo enim quòd ei omnia subiecit, nihil dimisit non subiectum. Nunc autẽ nõdum

Hebr. 3.a uidemus omnia subiecta ei. Qui fidelis est ei, qui fecit illum: sicut & Moyses in omni domo illius. Amplioris enim gloriæ, iste præ Moyse habitus est, quãto amplиorem honorem habet domo qui fabricauit illam. Omnis nanq; domus fabricatur ab aliquo, qui autem omnia creauit, Deus est. Et Moyses quidẽ fidelis erat in tota domo eius, tanquã famulus in testimonium eorũ, quæ dicenda erant: Christus uero tanquã filius in domo sua, quæ domus sumus nos, si fiduciam & gloriam spei usq; in finem firmam retineamus.

De diuinitate, & eminẽtia unigeniti filii Dei. CAP. XLIX.

Heb. 1.a LOquutus est nobis Deus in filio, quẽ constituit hæredem uniuersorũ, per quem fecit & secula. Qui cùm sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius, portansq; omnia uerbo uirtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexterã maiestatis in excelsis: tanto melior angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditauit. Cui enim dixit aliquando angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te? Et rursus: Ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium? Et cùm iterum introducit primogenitũ in

in orbem terræ,dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei. Et ad angelos quidem dicit: Qui facit angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis. Ad filiũ autem, Thronus tuus Deus in seculum seculi, uirga æquitatis uirga regni tui. Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis. Et tu in principio domine terrã fundasti, & opera manuũ tuarũ sunt cæli. Ipsi peribunt, tu autem permanes: & omnes sicut uestimentum ueterascent. Et uelut amictum mutabis eos, & mutabuntur. Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient. Ad quem autem angelorum dixit aliquando, Sede à dextris meis, Quoadusq; ponam inimicos tuos scabellum pedũ tuorũ? Non'ne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos

B qui hæreditatem capiunt salutis? Viuus *Hebr. 4. c*
est enim sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingẽs usque ad diuisionem animæ & spiritus, compagum quoque & medullarum: & discretor cogitationum, & intentionum cordis: & non est ulla creatura inuisibilis in conspectu eius. Omnia autem nuda & aperta sunt oculis eius, ad quem nobis

Heb. 13.b sermo. Etenim IESVS Christus heri &
Rom 9.a hodie, ipse & in secula. Qui est super om
Phil. 2.a Deus benedictus in secula. Qui cùm in
forma Dei esset, non rapinam arbitratus
est, esse se æqualem Deo, &c. ut suprà.

De insufficientia, & impotentia legis Mosaicæ, ad saluandum sine fide & gratia Christi. CAP. I.

Rom. 3.c EX operibus legis non iustificatur omnis caro corã Deo. Per legẽ enim A
cognitio peccati. Nunc autem sine lege iustitia Dei manifestata est, testificata à lege & prophetis. Iustitia autẽ Dei per fidem IESV Christi in omnes, & super omnes, qui credunt in eum. Non enim est distinctio. Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei. Vbi est ergo gloriatio tua? Exclusa est. Per quam legem? Factorum? Non, sed per legem fidei. Arbitramur enim hominem iustificari per fidẽ, sine operibus legis. An Iudæorum Deus tantum? Non'ne & gentium? Imò & gentium. Quoniam quidem unus Deus, qui iustificat circuncisionẽ ex fide, & præputium per fidem. Legem ergo destruimus per fidem? Absit, sed legem statuimus.
Rom. 4.a Quid ergo dicemus inuenisse Abraham

patrem

patrem nostrum secũdum carnẽ? Si enim Abrahã ex operibus legis iustificatus est, habet gloriã:sed non apud Deum. Quid enim scriptura dicit? Credidit Abraham Deo,& reputatum est ei ad iustitiam. Ei autẽ qui operatur, merces non imputatur secundum gratiã, sed secundum debitum. Ei autẽ qui non operatur, credenti autem in eum qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam, secundum propositũ gratiæ Dei. Sicut & Dauid dicit beatitudinẽ hominis, cui Deus accepto fert iustitiam sine operibus:Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Beatus uir cui nõ imputauit dominus peccatum. Beatitudo ergo hæc in circuncisione tantum manet, an etiam in præputio?Dicimus enim,quia reputata est fides Abrahæ ad iustitiã. Quomodo ergo reputata est?In circuncisione, an in præputio? Non in circuncisione, sed in præputio. Et signum accepit circuncisionis signaculum iustitiæ fidei, quæ est in præputio:ut sit pater omnium credentium per præputium, ut reputetur & illis ad iustitiam. Et sit pater circuncisionis, non his tantùm, qui ex circũcisione sunt: sed & his, qui sectantur uestigia fidei, quæ est in præputio patris nostri Abra-

hæ. Non enim per legẽ promiſsio Abrahæ, aut ſemini eius, ut hęres eſſet mundi: ſed per iuſtitiã fidei. Si enim qui ex lege hæredes ſunt: exinanita eſt fides, abolita eſt promiſsio. Lex enim iram operatur. Vbi enim non eſt lex, nec præuaricatio. Ideo ex fide, ut ſecundum gratiam firma ſit promiſsio omni ſemini: non ei, qui ex lege eſt ſolum: ſed & ei, qui ex fide eſt Abrahæ, qui eſt pater omnium noſtrum: ſicut ſcriptum eſt: Quia patrẽ multarum gẽtium poſui te ante Deum, cui credidiſti, qui uiuificat mortuos, & uocat ea quæ
Rom. 5.c non ſunt, tanquam ea quæ ſunt. Vſque ad C legem peccatum erat in mundo. Peccatum autem non imputabatur, cùm lex nõ eſſet. Nam lex ſubintrauit, ut abundaret
Rom. 7.a delictum. An ignoratis fratres (ſcientibus D enim legem loquor) quia lex in homine dominatur, quanto tempore uiuit. Nam quæ ſub uiro eſt mulier, uiuente uiro alligata eſt legi. Si autẽ mortuus fuerit uir eius, liberata eſt à lege uiri, ut non ſit adultera ſi fuerit cum alio uiro. Itaque fratres mei, & uos mortificati eſtis legi, per corpus Chriſti, ut ſitis alterius qui ex mortuis reſurrexit, ut fructificetis Deo. Cùm enim eſſemus in carne, paſsiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur

bantur in membris noſtris, ut fructifica-
rent morti. Nunc autem ſoluti ſumus à le
ge mortis, in qua detinebamur: ita, ut ſer-
uiamus in nouitate ſpiritus, & non in ue-
tuſtate literæ. Quid ergo dicemus? Lex
peccatum eſt? Abſit. Sed peccatum non
cognoui, niſi per legẽ. Nam cõcupiſcen-
tiam neſciebam, niſi lex diceret: Non con
cupiſces. Occaſione autem accepta pec-
catum per mãdatum, operatum eſt in me
omnem concupiſcentiam. Sine lege enim
peccatum mortuum erat, ego autem ui-
uebam ſine lege aliquando: ſed cùm ue-
niſſet mandatum, peccatum reuixit: ego
autem mortuus ſum. Et inuentum eſt, mi
hi mandatum quod erat ad uitam, hoc
eſſe ad mortem. Nam peccatum occaſio-
ne accepta per mandatum, ſeduxit me, &
per illud occidit. Itaque lex quidem ſan-
cta, & mandatum ſanctum, iuſtum, & bo-
num. Quod ergo bonum eſt, mihi factũ
eſt mors? Abſit. Sed peccatum, ut appa-
reat peccatum, per bonum operatum eſt
mihi mortẽ, ut fiat ſupra modum peccãs
E peccatũ per mandatũ. Lex autem ſpiritus *Rom. 8. a*
uitæ in Chriſto IESV, liberauit me à le-
F ge peccati & mortis. Oĩa mihi licent, ſed *1. cor. 6. c*
non omnia expediũt. Omnia mihi licẽt,
ſed ego ſub nullius redigar poteſtatem.

De perfectione & eminentia euangelicæ legis, supra legẽ scriptam. CAPVT LI.

2.Cor.3.b SI ministratio mortis literis deformata in lapidibus fuit in gloria, ita ut nõ possent filii Israël intẽdere in faciem Moysi propter gloriam uultus eius, quæ euacuatur: quomodo non magis ministratio spiritus erit in gloria? Nam si ministratio damnationis in gloria est, multomagis abundat ministerium iustitię in gloria. Nam nec glorificatum est quod claruit, in hac parte propter excellentem gloriam. Si enim quod euacuatur in gloria est, multomagis quod manet in gloria est.

Hebr.7.c Reprobatio quidem fit præcedentis mãdati, propter infirmitatem eius, B & inutilitatem. Nihil enim ad perfectum duxit lex: introductio uerò melioris spei, per quam proximamus ad Deũ.

Hebr.8.b Et quantum est, non sine iureiurando. Nunc autem Christus melius sortitus est ministerium, C quanto & melioris testamenti mediator est, Quod in melioribus repromissionibus sancitum est. Nam si illud prius culpa uacuasset, non utique secundi locus inquireretur. Vituperãs enim eos dicit: Ecce dies ueniunt, dicit dominus, & consummabo super domum Israël, & super

per domum Iuda teſtamentum nouum, non ſecundum teſtamẽtum quod feci patribus eorum, in die qua apprehendi manum eorũ, ut educeré eos de terra Aegypti. Quoniam ipſi non permanſerunt in teſtamento meo,& ego neglexi eos,dicit Dominus. Quia hoc teſtamentum,quod diſponam domui Iſraël poſt dies illos,dicit Dominus: Dabo leges meas in mente eorum,& in corde eorũ ſuperſcribam eas: & ego ero illis in Deum,& ipſi erũt mihi in populum: & non docebit unuſquiſque proximum ſuum, & unuſquiſque fratrem ſuum dicens:Cognoſce Dominum.Quia omnes ſcient me, à minore uſq; ad maiorem eorum,quia propitius ero iniquitatibus eorum, & peccatorum eorũ iam non memorabor. Dicẽdo autem Nouum,ueterauit prius. Quòd autem antiquatur & ſeneſcit,prope interitum eſt.

De inſufficientia,& reprobatione ſacrificiorũ legalium: & efficacia ſacrificii nouæ legis. CAP. LII.

A VMbram enim habẽs lex futurorum bonorũ, non ipſam imaginẽ rerum, per ſingulos annos eiſdem ipſis hoſtiis, quas offerunt indeſinenter: nunquam poteſt *Heb.10.*

test accedentes perfectos facere. Alioqui cessassent offerri, eo quòd nullam ultra conscientiam peccati haberent cultores semel mundati. Sed in ipsis commemoratio peccatorũ per singulos annos fit. Impossibile enim est, sanguine taurorum & hircorum auferri peccata. Ideo ingrediens mundum, dicit: Hostiam & oblationem noluisti, corpus autẽ aptasti mihi. Holocautomata & pro peccato tibi nõ placuerunt. Tunc dixi: Ecce, uenio: In capite libri scriptũ est de me, ut faciam Deus uoluntatem tuam. Superius dicens: quia hostias & oblationes & holocautomata pro peccato noluisti, nec placita sunt tibi quæ secundum legem offeruntur: Tunc dixi: Ecce uenio, ut faciam Deus uoluntatem tuam. Aufert primum, ut sequens statuat. In qua uoluntate sanctificati sumus, per oblationem corporis Christi semel. Et omnis quidem sacerdos præsto est quotidie ministrans, & easdem sæpe hostias offerens, quæ nunquam possunt auferre peccata. Hic autem unam pro peccatis offerens hostiam in sempiternum, sedet in dextera Dei. De cætero expectans, donec ponantur inimici eius scabellum pedum eius. Vna enim oblatione consummauit in sempiternum sanctificatos. Contestatur

tur autem nos Spiritus sanctus. Postquam enim dixit: Hoc autẽ testamentum quod testabor ad illos post dies illos, dicit Dominus: Dabo leges meas in cordibus eorum, & in mentes eorum superscribã eas, & peccatorum et iniquitatum eorum iam nõ memorabor amplius. Vbi aũt horum remissio: iam nõ est oblatio pro peccato.

B Tabernaculum enim factum est primũ &c. ut sup. His uerò ita cõpositis, in priori quidem tabernaculo semper introibant sacerdotes, sacrificiorum officia consummantes. In secundo autem semel in anno, solus Pontifex non sine sanguine, quem offerret pro sua ac populi ignorãtia. Hoc significante Spiritu sancto, nondum propalatam esse sanctorũ uiam, adhuc priore tabernaculo habente statum: quæ parabola est temporis instantis, iuxta quam munera & hostiæ offeruntur, quæ nunquam possunt iuxta conscientiã perfectũ facere seruientẽ, solummodo in cibis & potibus & uariis baptismatibus, & iustitiis carnis, usq; ad tempus correctionis impositis. *Hebr. 9. a*

Adhuc de insufficiẽtia, imperfectioneq́ legis, et cessatione legaliũ tẽpore nouę legis. CAP. III.

A Ascendi Hierosolymam secundum reuelationem, & contuli cum illis *Gala. 2. a*

Euang

Euangelium, quod prædico in Gentibus. Seorſum autem cum his, qui uidebantur aliquid eſſe, ne fortè in uacuum currerem, aut cucurriſſem. Sed neque Titus, qui mecum erat, cùm eſſet Gentilis, compulſus eſt circũcidi, ſed propter introductos falſos fratres, qui ſubintroierũt explorare libertatẽ noſtram, quam habemus in Chriſto IESV, ut nos in ſeruitutẽ redigerent. Quibus neq; ad horã ceſsimus ſubiectioni, ut ueritas Euangelii permaneat apud uos. Mihi autem qui uidebantur eſſe aliquid, nihil contulerunt. Sed econtra, cùm uidiſſent mihi creditum eſſe Euangelium præputii, ſicut & Petro circuncitionis, (qui enim operatus eſt Petro in Apoſtolatum circuncitionis, operatus eſt & mihi inter gentes) & cùm cognouiſſent gratiam Dei, quæ data eſt mihi, Iacóbus & Cephas, & Ioannes, qui uidebantur columnæ eſſe, dextras dederunt mihi & Barnabæ ſocietatis, ut nos in Gentes, ipſi autem in circuncitione: tantùm ut pauperũ memores eſſemus, quòd & ſolicitus fui hoc ipſum facere. Cùm autẽ ueniſſet Cephas Antiochiã, in faciem ei reſtiti, quia reprehenſibilis erat. Prius enim quàm uenirent quidam ab Iacóbo, cum Gentibus edebat: cùm autem ueniſſent, ſubtrahebat

&

& ſegregabat ſe, timẽs eos qui ex circuncisione erant. Et ſimulationi eius conſenſerunt cæteri Iudæi, ita, ut Barnabas duceretur in eandem ſimulationem. Sed cùm uidiſſem, quòd non rectè ambularent ad ueritatem Euangelii, dixi Cephæ coram omnibus: Si tu Iudæus cùm ſis, gentiliter & non Iudaicè uiuis, quomodo cogis Gentes iudaizare? Scientes autem quòd non iuſtificatur homo ex operibus legis, niſi per fidem IESV Chriſti: & nos in Chriſto IESV credimus, ut iuſtificemur ex fide Chriſti, & non ex operibus legis. Propter quod ex operibus legis non iuſtificatur omnis caro. Quòd ſi quærentes iuſtificari in Chriſto, inuẽti ſumus & ipſi peccatores: nunquid Chriſtus peccati miniſter eſt? Abſit. Si enim quę deſtruxi hęc iterum reædifico, præuaricatorẽ me conſtituo. Ego enim per legem, legi mortuus

B ſum, ut Deo uiuam. O inſenſati Galatæ, *Gala.3.a* quis uos faſcinauit non obedire ueritati, ante quorum oculos Chriſtus proſcriptus eſt, & in uobis crucifixus? Hoc ſolùm uolo à uobis diſcere, ex operibus legis ſpiritum accepiſtis, an ex auditu fidei? Sic ſtulti eſtis, ut cùm ſpiritu cœperitis, nunc carne conſummemini? Tanta paſsi eſtis ſine cauſa, ſi tamen ſine cauſa. Qui ergo tribuit

buit uobis ſpiritum, operatur & uirtutes in uobis, ex operibus legis, an ex auditu fidei? Quicunque enim ex operibus legis ſunt, ſub maledicto ſunt. Scriptũ eſt enim: Maledictus omnis qui non permanſerit in omnibus quæ ſcripta ſunt in libro legis huius, ut faciat ea. Quoniam autem in lege nemo iuſtificabitur ante Deum, manifeſtum eſt, quoniã iuſtus ex fide uiuit. Lex autem non eſt ex fide, ſed qui fecerit ea, uiuet in illis. Fratres, ſecundum hominem dico. Tamẽ hominum confirmatum teſtamentum nemo ſpernit, aut ſuperordinat. Abrahæ enim dictæ ſunt promiſsiones, & ſemini eius. Non enim dicit, & ſeminibus, quaſi in multis: ſed quaſi in uno, & ſemini tuo, qui eſt Chriſtus. Hoc autẽ dico, teſtamentum confirmatum à Deo, quæ poſt quadringẽtos & triginta annos facta eſt, lex nõ irritum facit, ad euacuandam promiſsionem. Nam ſi ex lege hæreditas, iam non ex promiſsione. Abrahæ autem per repromiſsionem donauit Deus. Quid igitur lex? Propter tranſgreſſionem poſita eſt, donec ueniret ſemẽ cui repromiſerat, ordinata per angelos in manu mediatoris. Mediator autem unius nõ eſt, Deus autem unus eſt. Lex ergo aduerſus promiſſa Dei? Abſit. Si enim data eſſet

lex

lex, quæ posset iustificare, uerè ex lege esset iustitia. Sed cōclusit scriptura omnia sub peccato, ut promisio ex fide IESV Christo daretur credentibus. Prius autem quàm ueniret fides, sub lege custodiebamur, cōclusi in eam fidem quæ reuelanda erat. Itaque lex pædagogus noster fuit in Christo, ut ex fide iustificaremur. At ubi uenit fides, iam nō sumus sub pædagogo.

C Scimus aũt quia bona est lex, si quis ea legitimè utatur. Sciētes hoc, quia iusto non est lex posita: sed iniustis, &c. ut suprà. *1. Tim. 1. b*

De cessatione circuncisionis, aliarumq́ obseruantiarum legalium, tempore Euangeli promulgati. CAP. LIIII.

A STate, & nolite iterum seruitutis iugo contineri. Ecce ego Paulus dico uobis quoniã si circũcidamini, Christus nihil uobis proderit. Testificor autē rursus omni homini circuncidēti se, quoniã debitor est uniuersę legis faciendæ. Euacuati estis à Christo, qui lege iustificamini, à gratia excidistis. Currebatis bene, quis uos impediuit ueritati non obedire? Nemini consenseritis. Persuasio enim hæc non ex eo, qui uocat uos. Ego autem confido in uobis in Domino, quòd nihil aliud sa- *Gala. 5. a*

in pietis,

pietis. Qui autem conturbat uos, portabit iudicium suum, quicunq; est ille. Ego autem fratres, si circuncisionem adhuc prædico, quid adhuc persecutionem patior? Ergo euacuatũ est scandalum crucis. Utinam abscindantur qui uos conturbant. Vos enim in libertaté uocati estis fratres, tantùm ne libertatem, in occasionem detis carnis.

Gala.6.c Quicunque enim uolunt placere in carne, hi cogunt uos circuncidi, tantùm ut crucis Christi persecutionem non patiantur. Neq; enim qui circunciduntur, legẽ custodiunt. Sed uolunt uos circuncidi, ut in carne uestra glorientur. In Christo autem IESV neq; circuncisio aliquid ualet, neq; præputium : sed noua creatura.

Gala 5.c Si spiritu ducimini, non estis sub lege. C

Gala.4.a Dico autem, quanto tẽpore hæres paruulus est, nihil differt à seruo, cùm sit Dominus omnium: sed sub tutoribus & actoribus est, usq; ad præfinitum tempus à patre: Ita & nos cùm essemus paruuli, sub elementis mundi eramus seruientes. Dies obseruatis, & menses, & tempora, & annos. Timeo, ne sine causa laborauerim in uobis. Estote sicut ego, quoniam & ego sicut uos. Fratres, obsecro uos, nihil me læsistis. Scitis autẽ quia per infirmitatem carnis euangelizaui uobis iam pridem, & D

tentat

tentationem uestram in carne mea non spreuistis, neq; respuistis: sed sicut Angelum Dei excepistis me, sicut Christũ IESVM. Vbi est ergo beatitudo uestra? Testimonium enim perhibeo uobis, quia si fieri potuisset, oculos uestros eruissetis, & dedissetis mihi. Ergo inimicus uobis factus sum uerum dicẽs uobis? Aemulantur uos non bene, sed excludere uos uolunt, ut illos æmulemini. Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur in uobis Christus. Vellem autem esse apud uos, & mutare uocem meam: quoniam confundor in uobis. Dicite mihi, qui sub lege uultis esse, legem non legistis? Scriptum est enim, quoniam Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, & unum de libera. Sed qui de ancilla, secundum carnem natus est: sed qui de libera, per repromissionem. Quæ sunt secundum allegoriam dicta. Hæc enim sunt duo testaméta. Vnum quidem in monte Sinai in seruitutem generans, quæ est Agar. Sina enim mons est in Arabia, qui coniunctus est ei, quę nunc est Hierusalem, & seruit cum filiis suis.
E Peccatum enim uobis non dominabitur. *Rom. 6.*
Non enim estis sub lege, sed sub gratia. Quid ergo? Peccabimus quia non sumus sub lege, sed sub gratia? Absit.

De sacerdotio & pontificio Christi: & de eminentia Melchisedech, qui fuit eius figura: & qualiter per Abraham decimatus est Leui. CAP. 15.

Hebr. 4. d HAbētes ergo Pontificem magnum, A
qui penetrauit cælos, IESVM Fi-
Hebr. 5. a lium Dei, teneamus cōfeſsionem. Omnis B
nanq; Pontifex ex hominibus aſſumptus,
pro hominibus conſtituitur, in his quæ
ſunt ad Deum: ut offerat dona & ſacrifi-
cia pro peccatis, qui condolere poſsit his,
qui ignorant & errant: quoniam & ipſe
circundatus eſt infirmitate. Et propterea
debet quemadmodū pro populo, ita etiā
pro ſemetipſo offerre pro peccatis. Nec
quiſquam ſumit ſibi honorem: ſed qui uo-
catur à Deo, tanquā Aaron. Sic & Chri-
ſtus non ſemetipſum clarificauit, ut Pon-
tifex fieret: ſed qui loquutus eſt ad eum:
Filius meus es tu, ego hodie genui te:
quemadmodum & in alio loco dicit: Tu
es ſacerdos in æternum, ſecundum ordi-
nem Melchiſedech. Appellatus à Deo pa-
tre Pontifex iuxta ordinem Melchiſe-
dech. De quo nobis grandis ſermo & in-
interpretabilis ad dicēdum, quoniam im-
Hebr. 7. a becilles facti eſtis ad audiendū. Hic enim C
Melchiſedech ſacerdos Dei ſummi, qui
obuia

obuiauit Abrahæ regreſſo à cęde regum, cui decimas omnium diuiſit Abraham. Primùm quidem qui interpretatur Rex iuſtitiæ. Deinde autem & Rex Salem, quod eſt Rex pacis, ſine patre, ſine matre, ſine genealogia, neq; initium dierum, neque finem uitæ habens. Aſsimilatus autem filio Dei, manet ſacerdos in perpetuum. Intuemini autem quantus ſit hic, cui de præcipuis dedit Abraham patriarcha. Et quidem de filiis Leui, ſacerdotiũ accipientes mandatũ habent decimas ſumere à populo ſecundum legem, id eſt, à fratribus ſuis: quanquam & ipſi exierunt de lumbis Abrahæ. Cuius autẽ generatio non annumeratur in eis, decimas ſumpſit ab Abraham. Et hunc qui habebat repromiſsiones, benedixit. Sine ulla autem contradictione, quod minus eſt, à meliore benedicitur. Et hic quidẽ homines morientes decimas accipiũt, ibi autẽ conteſtatur quia uiuit. Et ut ita dictum ſit, per Abraham & Leui qui decimas accepit decimatus eſt. Adhuc enim in lumbis patris erat, quãdo obuiauit ei Melchiſedech. Si ergo cõſummatio per ſacerdotium Leuiticum erat, populus enim ſub ipſo legẽ accepit: quid adhuc neceſſarium fuit ſecundum ordinẽ Melchiſedech alium ſacerdotem

ſurgere, & non ſecũdum ordinem Aaron dici? Tranſlato enim ſacerdotio, neceſſe eſt ut & legis tranſlatio fiat. In quo enim hæc dicuntur, de alia tribu eſt, de qua nullus altario pręſto fuit. Manifeſtũ eſt enim quòd ex Iuda ortus ſit Dominus noſter. In qua tribu nihil de ſacerdotibus Moyſes loquutus eſt. Et amplius adhuc manifeſtum eſt, ſi ſecundũ ſimilitudinem Melchiſedech exurget alius ſacerdos, qui non ſecundum legem mandati carnalis factus eſt, ſed ſecundum uirtutem uitæ inſolubilis. Conteſtatur enim, quoniam tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. Alii quidem ſine iureiurando ſacerdotes facti ſunt, hic autem cum iureiurando per eum qui dixit ad illum: Iurauit Dominus & nõ pœnitebit eum, tu es ſacerdos in æternum. In tantum melioris teſtamenti ſponſor factus eſt IESVS. Et alii quidem plures facti ſunt ſacerdotes, idcirco quòd morte prohiberentur permanere. Hic autem quoniã permanet in æternũ, perpetuum habet ſacerdotiũ. Talis enim decebat ut eſſet nobis pontifex, ſanctus, impollutus, innocẽs, ſegregatus à peccatoribus, excelſior cælis factus: qui non habet quotidie neceſsitatẽ, quemadmodũ ſacerdos, prius pro ſuis delictis hoſtias of-

ferre,

ferre, deinde pro populo. Hoc enim fecit semel se offerẽdo. Lex enim homines cõstituit infirmitatem habentes. Sermo autẽ iurisiurandi, qui post legem est, filium in
D æternum perfectum. Capitulum autem *Hebr. 8.A*
super ea quæ dicuntur. Talem habemus pontificem, qui consedit in dextera sedis magnitudinis in cælis, sanctorum minister & tabernaculi ueri, quod fixit Deus, & non homo. Omnis enim pontifex ad offerendum munera & hostias constituitur. Vnde necesse est & hunc habere aliquid quod offerat. Si ergo esset super terram, nec esset sacerdos, cùm essent qui secundum legem offerrent munera: qui exemplari & umbræ deseruiunt cælestiũ, sicut responsum est Moysi, cùm consummaret tabernaculum: Vide, inquit, omnia facito secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est.

Quibus uirtutibus debeant esse ornati in sacris ordinibus constituti Episcopi, Sacerdotes, Diaconi. CAP. LVI.

A FIdelis sermo: Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. *1. tim. 3.A*
Oportet ergo episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris uirum, sobriũ, prudentem, pudicum, ornatum, hospitalem,

doctorem: non uinolétum, non percussorem; sed modestum. Non litigiosum, non cupidum, suæ domui benè præpositum, filios habentem subditos cum omni castitate. Si quis autem suæ domui nescit præesse, quomodo ecclesiæ Dei curam habebit? Nō neophytum, ne in superbiam elatus in iudicium incidat diaboli. Oportet autem illum & testimoniū bonū habere ab his qui foris sunt, ut non in opprobriū incidat & laqueum diaboli. *Diacones* similiter pudicos, non bilingues, non multo uino deditos, nō turpe lucrum sectantes, habentes ministeriū fidei in conscientia pura. Et hi autem probentur primum, & sic ministrent, nullum crimen habētes, Diacones sint unius uxoris uiri, qui suis filiis bene præsint, & suis domibus. Qui enim bene ministrauerint, gradum sibi bonum acquirent, & multam fiduciam in
ad tit. 1. a fide quæ est in Christo IESV. Huius B
rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt corrigas, & constituas per ciuitates presbyteros, sicut & ego tibi disposui. Si quis sine crimine est, unius uxoris uir, filios habens fideles, non in accusatione luxuriæ, aut non subditos. Oportet enim episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem: non superbum, non iracundum,

cundum, non uinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum: sed hospitalem, benignum, sobrium, iustum, sanctum, continentem, amplectentem eum qui secundum doctrinam est fidelem sermonem: ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere.
C Aduersus presbyterum noli accusationem recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus. *1.tim.5.c*

De institutione & communione sacramenti Eucharistiæ. Et quàm damnabile sit, illud indigne accipere. CAP. LVII.

A VT prudētibus loquor, uosipsi iudicate, quod dico: Calix benedictionis cui benedicimus, nónne communicatio sanguinis Christi est? Et panis quem frangimus, nónne participatio corporis domini est? Quoniam unus panis & unū corpus, multi sumus omnes, qui de uno pane, & de uno calice participamus. *1.Co.10.d*

B Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi uobis: Quoniam Dominus noster IESVS Christus in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit: Accipite & manducate, hoc est corpus meum, quod pro uobis tradetur: hoc facite in meam commemoratio- *1.Cor.11.e*

 nem.

nem. Similiter & calicem, postquam cœnauit dicens: Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine. Hoc facite quotiescunque biberitis, in meam commemorationem. Quotiescunq; enim manducabitis panem hũc, & calicem bibetis, mortem domini annunciabitis, donec ueniat. Itaq; quicunq; manducauerit panem, uel biberit calicem domini indignè, reus erit corporis & sanguinis domini. Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, nõ diiudicans corpus domini. Ideo sunt inter uos multi infirmi, & imbecilles, & dormiũt multi. Itaq; fratres cùm conuenitis ad manducandum, inuicem expectate. Si quis esurit, domi mãducet, ut non in iudicium conueniatis. Cætera autem cùm uenero disponam.

Qualiter coniugati debeant se habere : & de consilio continentiæ uirginalis & uidualis.

CAPVT LVIII.

1. Cor. 7. a DE quibus auté scripsistis mihi, bonum est homini mulierem nõ tangere. Propter fornicationem autem unusquisque suam uxoré habeat, & unaquæq; suum uirum. Vxori uir debitum reddat, similit

ſimiliter autem & uxor uiro. Mulier ſui corporis non habet poteſtatem, ſed uir. Similiter & uir ſui corporis nõ habet poteſtatem, ſed mulier. Nolite fraudare inuicem, niſi forte ex conſenſu ad tempus, ut uacetis orationi. Et iterum reuertimini in id ipſum, ne tentet uos Satanas propter incontinentiam ueſtram. Hoc autem dico ſecundum indulgentiam, non ſecundum imperium. Volo autẽ omnes homines eſſe ſicut meipſum. Sed unuſquiſque propriũ donum habet ex Deo, unus quidem ſic, alius uerò ſic. Dico autem non nuptis, & uiduis: bonum eſt illis ſi ſic permaneant, ut & ego. Quòd ſi ſe non continent, nubant. Melius enim eſt nubere, quàm uri. His autẽ qui matrimonio iunčti ſunt, præcipio, non ego, ſed dominus: Vxorẽ à uiro nõ diſcedere. Quòd ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut uiro ſuo reconciliari. Et uir uxorem ne dimittat. Nam cæteris ego dico, non dominus: Si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc conſentit habitare cum illo, non dimittat illam. Et ſi qua mulier habet uirũ infidelem, & hic conſentit habitare cum illa, non dimittat uirum. Sanctificatus eſt enim uir infidelis per mulierem fidelem. Et ſanctificata eſt mulier infidelis

per

per uirum fidelem. Alioqui & filii uestri immundi essent, nunc autem sancti sunt. Quòd si infidelis discedit, discedat. Non est enim seruituti subiectus frater aut soror in eiusmodi. Vnde enim scis mulier si uirum saluum facies? Aut unde scis uir si mulierem saluam facies? Nisi unicuiq; sicut diuisit Deus. De uirginibus autem præceptum domini non habeo. Consilium autem do, tanquàm misericordiam consecutus à domino, ut sim fidelis. *Existimo* autem hoc bonum esse propter instãtem necessitatem, quoniam bonũ est homini sic esse. Alligatus es uxori? noli quærere solutionem: solutus es ab uxore? noli quærere uxorem. Si autem acceperis uxorem, nõ peccasti: & si nupserit uirgo, non peccauit. Tribulationem tamen carnis habebunt huiusmodi. Ego autem uobis parco. Qui sine uxore est, solicitus est quæ sunt domini, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore est, solicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & diuisus est. Et mulier innupta, & uirgo cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore & spiritu. Quæ autem nupta est, cogitat ea quæ sunt mundi, quomodo placeat uiro. Porrò hoc ad utilitaté uestram dico, non ut laqueum uobis iniiciam: sed

ad

ad id quod honeſtum eſt, & quod facultatem præbeat ſine impedimento Dominum obſecrandi. Si quis autem turpem uideri ſe exiſtimat ſuper uirgine ſua, quòd ſit ſuperadulta, & ita oportet fieri: quod uult faciat, non peccat ſi nubat. Nã qui ſtatuit in corde ſuo firmus, non habens aliquam neceſsitatem, poteſtatẽ autem habẽs ſuæ uoluntatis, & hoc indicauit in corde ſuo ſeruare uirginem ſuam, bene facit. Igitur & qui matrimonio iungit uirginem ſuam, bene facit. Et qui non iungit, melius facit. Mulier alligata eſt legi, quãto tempore uir eius uiuit. Quòd ſi dormierit uir eius, liberata eſt. Cui uult nubat, tantum in Domino. Beatior autem erit, ſi ſic permanſerit, ſecundum meum conſilium. Puto autem, quòd & ego ſpiritum Dei habeam. Mulieres uiris ſuis

B ritum Dei habeam. Mulieres uiris ſuis *Ephe. 5. c*

ſubditæ ſint, ſicut domino. Quoniam uir caput eſt mulieris, ſicut Chriſtus eccleſiæ. Sed ſicut eccleſia ſubiecta eſt Chriſto, ita & mulieres uiris ſuis in omnibus. Viri diligite uxores ueſtras, ſicut & Chriſtus eccleſiam: ita & uiri debent diligere uxores ſuas, ut corpora ſua. Qui ſuã uxorem diligit, ſeipſum diligit. Veruntamen & uos ſinguli unuſquiſque uxorem ſuam ſicut ſeipſum diligat. Vxor autem timeat uirum.

rum.

Colos. 3.d rum. Mulieres subditæ estote uiris, sicut oportet in domino. Viri diligite uxores
Heb. ul.a uestras, & nolite amari esse ad eas. Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus.

De quibusdam documentis pertinentibus generaliter ad uiros, atque mulieres, & uiduas.

CAPVT LIX.

1. Co. 11. a Volo autem uos scire, *quòd omnis* uiri caput est Christus: caput autem mulieris, uir: caput uerò Christi, Deus. Omnis uir orans aut prophetans, uelato capite, deturpat caput suum. Omnis autem mulier orans aut prophetans, non uelato capite deturpat caput suũ. Vnũ est enim, ac si decaluetur. Nam si non uelatur mulier, tondeatur. Si uerò turpe est mulieri tonderi, aut decaluari, uelet caput suum. Vir quidem nõ debet uelare caput suum, quoniã imago & gloria est Dei. Mulier autẽ gloria est uiri. Nõ enim uir ex muliere est, sed mulier ex uiro. Etenim non est creatus uir propter mulierem, sed mulier propter uirum. Ideo debet mulier uelamen habere super caput suum, & propter angelos. Veruntamen neque uir sine mulier,

muliere, neque mulier sine uiro in domino. Nam sicut mulier de uiro, ita & per mulierem uir. Vos ipsi iudicate, decet mulierem non uelatã orare Deum? Nec ipsa natura docet uos, quòd uir quidem si comam nutriat, ignominia est illi? Mulier uerò si comã nutriat, gloria est illi? Quoniam capilli pro uelamine dati sunt illi.

B Mulieres in ecclesia taceant. Non enim permittitur eas loqui, sed subiectas esse: sicut & lex dicit. Si quid autem uolunt discere, domi uiros suos interrogent. Turpe est enim mulierem loqui in ecclesia. An à uobis uerbum Dei processit? An in uos solos peruenit? Si quis uidetur propheta esse aut spiritualis, cognoscat quæ scribo uobis: quoniam domini sunt mandata. *1. Co.14.g*

C Mulieres ornantes se, non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, aut ueste pretiosa: sed quod decet mulieres promittentes pietatem per opera bona. Mulier in silentio discat cum omni subiectione. Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in uirum: sed esse in silentio. Adam enim primus formatus est, deinde Eua. Et Adam non est seductus, mulier autem seducta in præuaricatione fuit. Saluabitur autem per filiorum generationem, si permanserit in fide, & *1. Ti.2.b*

dilecti

dilectione, & sanctificatione cum sobrietate. 1.Tim.5.a Viduas honora, quæ uerè uiduæ sunt. Si qua autem uidua filios, aut nepotes habet, discat primum domum suam bene regere, & mutuam uicem reddere parentibus. Hoc enim acceptum est coram Deo. Quæ autem uerè uidua est, & desolata, speret in Deum, & instet obsecrationibus & orationibus, nocte ac die. Nam quæ in deliciis est, uiuens mortua est. Et hoc præcipe, ut irreprehensibiles sint. Vidua eligatur non minus sexaginta annorum, quæ fuerit unius uiri uxor, in operibus bonis testimonium habens. Si filios educauit, si hospitio recepit, si sanctorum pedes lauit, si tribulationem patientibus subministrauit, si omne opus bonum subsecuta est. Adolescétiores autem uiduas deuita. Cùm enim luxuriatæ fuerint, in Christo nubere uolunt: habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerũt. Volo ergo iuniores nubere, filios procreare, matresfamilias esse, nullam occasionem aduersario dare maledicti gratia. Iam enim conuersæ sunt quædam retro Satanam. Si quis fidelis habet uiduas, subministret illis: & non grauetur ecclesia, ut his quæ uerè uiduæ sunt, sufficiat.

Qualiter

Qualiter parẽtes habere se debent ad sobolem suã, & econuerso. Qualiter etiã domini ad seruos, & uiceuersa. CAP. LX.

A FIlii obedite parentibus uestris in domino, hoc enim iustum est. Honora patrem tuum & matrẽ (quod est mandatum primũ in promissione) ut sis longæuus super terrã. Et patres, nolite ad iracundiã prouocare filios uestros, sed educate illos in disciplina, & correptiõe domini. *Eph. 6.a*

B Filii obedite parẽtibus uestris per omnia, hoc enim placitum est in domino. Patres nolite ad iracundiã prouocare filios uestros, ut non pusillo animo fiant. *Colos. 3.d*

C Non debent filii parẽtibus thesaurizare, sed parentes filiis. *2.cor.12.e*

D Serui obedite dominis carnalibus, cum timore & tremore in simplicitate cordis uestri, sicut Christo: non ad oculũ seruientes, quasi hominibus placentes: sed ut serui Christi facientes uoluntatem Dei ex animo cum bona uoluntate: seruientes sicut domino, & non sicut hominibus: scientes quoniam unusquisque quod fecerit bonũ, hoc percipiet à domino, siue seruus siue liber. Et uos domini, eadem facite illis, remittentes minas: scientes, quia & illorũ & uester dominus est in cælis. Et personarũ acceptio non est apud *Eph. 6.a*

n Deum.

Coloss.3.d Deum. Serui obedite per omnia dominis carnalibus in simplicitate cordis timētes Deum. Quodcūq; facitis, ex animo operamini: sciētes quòd à domino accipietis retributionem hereditatis. Domini, quod æquū & iustū est, seruis præstate: scientes, quoniam & uos dominū habetis in cœ.

1.tim.6.a Quicunq; sub iugo sunt serui, dominos suos omni honore dignos arbitrentur: ne nomē domini & doctrina blasphemetur. Quicunq; autem fideles dominos habēt, non cōtemnant, quia fratres sunt: sed magis seruiāt, quia fideles sunt: quia beneficii

Tit.2.c participes sunt. Seruos dominis suis subditos esse in omnibus placētes, non contradicentes, non fraudantes: sed in omnibus fidem bonā ostendētes, ut doctrinam Saluatoris nostri ornent in omnibus.

Qualiter superiores habere se debēt ad subditos, & ecōtra. Et de quibusdam documētis, ad prælatos spectantibus. Et qualiter diuersos diuersimode instruere debēt. CAP. LXI.

1.thes.5.c ROgamus autē uos fratres, ut noueritis eos, qui laborant inter uos, & præsunt uobis in domino, & monēt uos, ut habeatis illos abūdantius in charitate.

Propter

Propter opus illorum pacem habete cum
B eis. Itaq; qui hæc ſpernit, non hominem *1.theſ.4.b*
C ſpernit, ſed Deũ. Qui bene præſunt preſ- *1.tim.5.c*
byteri, duplici honore digni habeantur,
D &c. ut ſuprà. Mementote præpoſitorum *Heb. 13.b*
ueſtrorũ, qui uobis loquuti ſunt uerbum
Dei: quorum intuentes exitum conuerſa-
tionis, imitamini fidẽ. Obedite præpoſitis
ueſtris, & ſubiacete eis. Ipſi enim peruigi-
lant quaſi rationẽ pro animabus ueſtris
reddituri: ut cum gaudio hoc faciant, &
non gementes: hoc enim expedit uobis.
E Et eiuſmodi cum honore habetote, & *Phil.2.d*
F cum omni gaudio excipite. Dum uenio, *1.tim.4.d*
attende lectioni, exhortationi, & doctri-
næ. Noli negligere gratiã quæ in te eſt,
quæ data eſt tibi per prophetiã cum im-
poſitione manuum presbyterii. Attẽde ti
bi, & doctrinæ. Inſta in illis: hoc enim fa
ciens, & teipſum ſaluũ facies, & eos qui te
G audiunt. Manus cito nemini impoſueris. *1. tim.5.d*
H Neq; cõmunicaueris peccatis alienis. Tu *2 tim.4.b*
uerò uigila, in omnibus labora, opus fac
Euangeliſtæ, miniſterium tuum imple, ſo
I brius eſto. Hæc commone teſtificans co *2.tim. 2.b*
K ram Deo. Tu autem aſſecutus es meam *2.tim.3.c*
doctrinam, inſtitutionẽ, propoſitum, fi-
dem, longanimitatẽ, dilectionem, patien-
tiam, perſecutiones, paſsiones: qualia mihi

facta sunt Antiochię, Iconii, Lystris, quales persecutiones sustinui: & ex omnibus
2.tim.4.a me eripuit Dominus. Prædica uerbũ, insta opportune, importune: argue, obsecra,
2.tim.4.d increpa, &c. ut suprà. Exemplum esto fidelium, in uerbo, in conuersatione, in ca-
2.tim.5.a ritate. Seniorem obsecra ut patrem, iuuenes, ut fratres, anus ut matres, iuuenculas
Tit.2.a ut sorores in omni castitate. Tunc autem loquere quæ decent sanam doctrinã. Senes ut sobrii sint, pudici, prudentes, sani in fide, in dilectione, in patientia. Anus similiter in habitu sancto, non criminatrices, non multo uino seruientes: bene docentes, ut prudentiam doceant. Adolescentulas, ut uiros suos ament, filios diligant, prudentes, castas, sobrias, benignas, domus curã habentes, subiectas uiris suis: ut non blasphemetur uerbum Dei. Iuuenes simi-
1.tim.4.b liter hortare, ut sobrii sint. Hæc proponens fratribus, bonus eris minister Christi IESV, enutritus uerbis fidei & bonæ doctrinæ, quam assequutus es.

De spiritali regeneratione baptismi, & cur debeamus de cętero recedere à peccatis. CAP. LXI.

Rom.5.d VBi abundauit delictum, superabun-
Rom.6.a dauit & gratia, &c. ut suprà. Quid

ergo

ergo dicemus? Permanebimus in peccato, ut gratia abundet? Absit. Qui enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc uiuemus in illo? An ignoratis, quia quicunq; baptizati sum⁹ in Christo IESV, in mortē ipsius baptizati sumus? Cōsepulti enim sumus cum illo per baptismū in mortem, ut quomodo Christus resurrexit à mortuis per gloriā patris: ita & nos in nouitate uitæ ambulemus. Si enim cōplantati facti sumus similitudini morti eius, simul & resurrectionis erimus: hoc sciētes, quia uetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, ut ultra nō seruiamus peccato. Qui enim mortuus est, iustificatus est à peccato. Si autē mortui sumus cum Christo, credimus, quia simul etiā uiuemus cū illo. Scientes, quia Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur: mors illi ultra non dominabitur. Quòd enim mortuus est, peccato mortuus est semel: quòd autē uiuit, uiuit Deo: Ita & uos existimate, uos quidē mortuos esse peccato, uiuētes autē Deo in Christo
C IESV domino nostro. Quicunq; enim *Gal. 3.d*
in Christo IESV baptizati estis, Christū
D induistis. In quo & circuncisi estis cir- *Colos. 2.b*
cuncisione nō manufacta, in expoliatione corporis carnis, in circūcisione IESV

Christi: consepulti ei in baptismo, in quo & resurrexistis, per fidē operationis eius, qui suscitauit illum à mortuis.

De aduentu impiissimi & fallacissimi Antichristi, ac die iudicii. CAP. LXII.

2.thes.2.a NOn terreamini, quasi instet dies domini, ne quis uos seducat ullo modo: quoniam nisi uenerit discessio primum, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui aduersatur & extollitur super omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita, ut in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus. Non retinetis, quoniam cùm adhuc essem uobiscum, hæc dicebamus uobis? Et nunc quid detineat, scitis, ut reueletur in suo tempore. Nam mysteriū iam operatur iniquitatis, tantum ut qui tenet, nunc teneat, donec de medio fiat. Et tunc reuelabitur ille iniquus, quem dominus IESVS interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione aduentus sui eum: cuius aduentus est secundum operationem Satanæ, in omni uirtute, & signis, & prodigiis mendacibus: & in omni seductione iniquitatis, his qui pereunt: eo quòd charitatem ueritatis non receperint, ideo mittet illis Deus

operationem erroris, ut credant mendacio, ut iudicentur omnes qui nō crediderint ueritati, sed consenserunt iniquitati.

B De temporibus autem & momentis fratres, nō indigetis ut scribamus uobis. Ipsi enim diligenter scitis, quia dies domini sicut fur in nocte, ita ueniet. Cùm enim dixerint, pax, & securitas: tunc repentinus eis superueniet interitus: sicut dolor in utero habentis, & non effugient. Vos autem fratres non estis in tenebris, ut uos dies illa tanquam fur comprehendat. *1. thes. 5. a*

De generali resurrectione futura. CAPVT LXIIII.

A SI quis spiritum Christi non habet, hic non est eius. Quòd si spiritus eius qui suscitauit IESVM Christum à mortuis, habitat in uobis: qui suscitauit IESVM Christum à mortuis, uiuificabit & mortalia corpora uestra, propter inhabitantem *Rom. 8. b*

B spiritum eius in uobis. Deus est, qui dominum suscitauit, & nos suscitabit per ue- *1. cor. 6. c*

C ritatem suam. Scientes, quoniam qui suscitauit IESVM, & nos cum IESV susci- *2. cor. 4. d*

D tabit, & constituet uobiscum. Christus enim in uobis non infirmatur, sed potēs est in uobis. Nā & si crucifixus est ex infirmitate, sed uiuit ex uirtute Dei. Nam & *2. cor. 13. b*

nos infirmi sumus in illo: sed uiuimus ex uirtute Dei in uobis. Si enim credimus quòd IESVS mortuus est, & resurrexit, ita & Deus eos, qui dormierunt per IESVM adducet cum eo. Hoc enim uobis dicimus in uerbo domini, quia nos qui uiuimus, qui residui sumus in aduētu domini, non præueniemus eos qui dormierunt. Quoniam ipse dominus in iussu, & in uoce archangeli, & in tuba Dei descendet de cælo, & mortui qui in Christo sunt, resurgent primi. Deinde nos, qui uiuimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Christo in aëra: & sic semper cum Christo erimus. Itaq; consolamini inuicē in uerbis istis.

1.thes.4.c E

De fideli probatione ac diuersitate resurrectionis futuræ, ac dotibus corporum glorificandorum. CAP. LXV.

1.cor.15.b SI autem Christus prædicatur, quòd resurrexit à mortuis, quomodo quidam dicunt in uobis, quoniam resurrectio mortuorum non est? Si autem resurrectio mortuorum non est, neq; Christus resurrexit. Si autem Christus non resurrexit, inanis est prædicatio nostra, inanis est & fides uestra. Inuenimur autem A

&

& falsi testes, quoniam testimoniū diximus aduersus Deū, quòd suscitauit Christum, quem non suscitauit, si mortui non resurgunt. Nam si mortui non resurgūt, neq; Christus resurrexit. Quòd si Christus non resurrexit, uana est fides uestra, adhuc estis in peccatis uestris: ergo & qui dormierunt in Christo, perierunt. Si in hac uita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus. Nūc autem Christus resurrexit à mortuis primitiæ dormientium. Quoniam quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes uiuificabuntur. Vnusquisque autem in suo ordine. Primitiæ Christus, deinde hi, qui sunt Christi, qui in aduentum eius crediderunt. Deinde finis, cum tradiderit regnū Deo patri, cùm euacuauerit omnem principatum, & potestatem, & uirtutem. Oportet autē illum regnare, donec ponat oēs inimicos sub pedibus eius. Nouissime autem inimica destruetur mors. Omnia em̄ subiecit sub pedibus eius. Cùm autē dicit, omnia subiecta sunt ei: sine dubio præter eum, qui subiecit ei omnia. Cùm autē subiecta fuerint illi omnia, tūc & ipse filius subiectus

erit illi, qui ſibi ſubiecit omnia: ut ſit Deus omnia in omnibus. Alioqui quid faciunt, qui baptizantur pro mortuis, ſi omnino mortui non reſurgũt? Vt quid baptizantur pro eis? Vt quid & nos periclitamur omni hora? Quotidie enim morior propter ueſtrã gloriam fratres, quam habeo in Chriſto IESV domino noſtro. Si ſecundũ hominẽ ad beſtias pugnaui Epheſi, quid mihi prodeſt, ſi mortui nõ reſurgunt? Manducemus & bibamus: cras enim moriemur. Nolite ſeduci. Corrumpunt mores bonos, colloquia praua. Euigilate iuſti, & nolite peccare. Ad reuerẽtiam uobis loquor. Sed dicet aliquis: Quomodo reſurgent mortui? quali autẽ corpore uenient? Inſipiens tu, quod ſeminas non uiuificabitur, niſi prius moriatur. Et quod ſeminas, non corpus, quod futurum eſt ſeminas: ſed nudum granum, utpote tritici aut alicuius cæterorũ. Deus autem dat illi corpus, prout uult, & unicuique ſeminum propriũ corpus. Non omnis caro eadem caro: ſed alia hominum, alia pecorũ, alia uolucrum, alia autem piſcium. Et corpora cæleſtia, & corpora terreſtria: Sed alia quidẽ cæleſtium gloria, alia terreſtrium. Alia claritas ſolis, alia claritas lunæ, alia claritas ſtellarum. Stella enim à ſtella differt

fert in claritate: sic & resurrectio mortuorum. Seminatur in corruptione, surgit in incorruptionẽ. Seminatur in ignobilitate, surget in gloriam. Seminatur in infirmitate, surget in uirtute. Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale. Si est corpus animale, est & spirituale. Sicut scriptũ est: Factus est primus homo Adam in animam uiuentem, nouissimus Adam in spiritum uiuificantem. Sed non prius quod spiritale est, sed quod animale: deĩde quod spiritale. Ecce mysterium uobis dico: Oẽs quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur, in momento, in ictu oculi, in nouissima tuba: Canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur. Oportet enim corruptibile hoc, induere incorruptionem: & mortale hoc induere immortalitatem. Cùm autẽ mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo qui scriptus est: Absorpta est mors in uictoria. Vbi est mors uictoria tua? Vbi est mors stimulus tuus? Stimulus autem peccati, mors. Virtus uerò peccati, lex. Deo autem gratias, qui dedit nobis uictoriam per Dominum nostrum IESVM Christum.

De feruida charitate sancti Pauli apostoli, CAP. LXVI.

Optab

Rom.9.a OPtabam ego ipse anathema esse à A
Christo pro fratribus meis,qui sunt
Rom.10.a cognati mei secundum carnem. Volun- B
tas quidem cordis mei & obsecratio ad
1.Cor.9.d Deum, fit pro illis in salutem. Nam cùm C
liber essem ex omnibus, omnium me ser-
uum feci,ut plures lucrifacerem. Et factus
sum Iudæis tanquam Iudæus, ut Iudæos
lucrarer. His qui sub lege erant, tanquam
sub lege essem,ut eos qui sub lege erãt, lu-
crifacerẽ. His qui sine lege erant tanquam
sine lege essem, cùm sine lege Christi nó
essem, sed in lege Christi essem: ut eos
qui sine lege erant, lucrarer. Factus sum
infirmis, infirmus: ut infirmos lucrifacc-
rẽ. Omnibus omnia factus sum,ut omnes
facerem saluos. Omnia autem facio pro-
pter euãgelium, ut eius particeps efficiar.
2.Cor.1.c Et hac cõfidentia uolui prius uenire ad D
uos,ut secundam gratiam haberetis,& per
uos transire in Macedoniam. Et iterum à
Macedonia uenire ad uos, & à uobis de-
2.Cor.2.c duci in Iudæam. Cùm autem uenissem E
Troadem propter Euãgelium Christi,&
ostium mihi apertum esset in Domino:
non habui requiem spiritui meo,eo quòd
non inuenerim Titum fratrem meum.
Sed ualefaciens eis, profectus sum in Ma-
cedoniam. Ex multa uerò tribulatione &

angustia cordis scripsi uobis, per multas
lacrymas: ut sciatis quam charitatem ha-
F beam abundantius in uobis. Epistola 2.Cor.3.a
enim mea uos estis, scripta in cordibus
nostris, quæ scitur & legitur ab omnibus
hominibus, manifestati: quoniã epistola
estis Christi, ministrata à nobis, & scripta
non atramento, sed spiritu Dei uiui: non
in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis
G carnalibus. Charitas enim Christi urget 2.Cor.5.c
H nos, ut suprà. Ecce tertiò hoc paratus 2.Co.13.d
sum uenire ad uos, & non ero grauis uo-
bis. Non enim quæro quæ uestra sunt, sed
uos. Ego autem libentissimè impendam
& superimpendar pro animabus uestris.
Licet plus uos diligens, minus diligar.
I Confidens hoc ipsum, quia qui cœpit Phili.1.a
in uobis opus bonum, perficiet: usque in
dié IESV Christi: sicut est mihi hoc iu-
stum sentire pro omnibus uobis, eo quòd
habeam uos in corde, & in uinculis meis,
& in defensione, & confirmatione Euan-
gelii, socios gaudii mei omnes uos esse.
Testis enim mihi est Deus, quomodo cu-
piã omnes uos in uisceribus IESV Chri-
K sti. Spero autem in Domino IESV, Ti- Phili.2.c
mótheum me citò mittere ad uos, ut &
ego bono animo sim, cognitis quæ circa
uos sunt. Neminem habeo tam unani-
mem,

mem, qui ſyncera affectione pro uobis ſo
licitus ſit. Omnes enim quæ ſua ſunt, quæ-
runt: non quæ IESV Chriſti. Experi-
mentum autem eius cognoſcite, quoniam
ſicut patri filius, mecum ſeruiuit in Euan-
gelio. Hunc igitur ſpero me mittere ad
uos, mox ut uidero quæ circa me ſunt.
Confido autē in Domino, quoniā & ipſe
Phili.3.a ueniam ad uos citò. Eadem uobis ſcribe- L
re mihi non pigrum, uobis autem neceſſa-
Coloſ.2.a rium. Volo enim uos ſcire, qualem ſoli- M
citudinem habeam pro uobis, & pro his
qui ſunt Laodiceæ, & quicunq; non uide-
2.Cor.7.c runt faciem meam, ut cõſolentur. Igitur N
& ſi ſcripſi uobis, non propter eum qui
fecit iniuriam, nec propter eum qui paſ-
ſus eſt, ſed ad manifeſtandam ſolicitudi-
nem noſtram, quam pro uobis habemus
1.The.2.b coram Deo. Tanquam ſi nutrix foueat fi- O
lios ſuos, ita deſiderantes uos, cupidè, uo-
lebamus tradere uobis, non ſolùm Euan-
gelium Dei, ſed etiam animas noſtras:
2.tim.1.a quoniam chariſsimi nobis facti eſtis. Gra- P
tias ago Deo meo, cui ſeruio à progeni-
toribus meis in conſcientia pura: quòd ſi-
ne intermiſsione habeam tui memoriam
in orationibus meis, nocte ac die: deſide-
rans te uidere, memor lacrymarum tua-
rum ut gaudio implear: recordationem
accip

accipiens eius fidei, quæ est in te: non fictæ. Quæ habitauit primùm in auia tua Loide, & matre tua Euniche: certus sum
Q autem, quòd & in te. Zenam legisperitum & Apollo solicite præmitte, ut nihil *Tit.3.d*
R illis desit. Propter charitatem obsecro, *Philem.b*
cùm sis talis ut Paulus senex, nunc autem uinctus IESV Christi. Obsecro te pro meo filio, quem genui in uinculis, Onesimo. qui tibi aliquando inutilis fuit: nunc autem & tibi, & mihi utilis, quem misi ad te. Tu autem illum, id est, uiscera mea, suscipe: quem ego uolueram mecum detinere, ut pro te mihi ministraret in uinculis Euangelii: sine tuo autē consilio nihil uolui facere, uti ne ex necessitate bonum tuum esset, sed uoluntarium. Forsitan ideo discessit ad horam à te, ut æternum illum reciperes: iam non ut seruum, sed pro seruo charissimum fratrem, maximè mihi: quanto autē magis tibi, & in carne, & in Domino? Si ergo habes me socium, suscipe illum sicut me. Si autem aliquid nocuit tibi, aut debet, hoc mihi imputa. Ego Paulus scripsi mea manu. Ego reddam: ut non dicam tibi, quòd & teipsum mihi debes. Ita frater ego te fruar in Domino, refice uiscera mea ī Christo. Simul autem & para mihi hospitium. Nam spe-

ro p orationes ueſtras donari me uobis.

De Humilitate, Patientia, ac Perſecutionibus beati Pauli Apoſtoli. CAP. LXVII.

1.Co.15.b NOuiſsimè, tanquam abortiuo, uiſus A
eſt Chriſtus et mihi. Ego enim ſum
minimus Apoſtolorum: qui non ſum di-
gnus uocari Apoſtolus, quoniam perſe-
cutus ſum eccleſiam Dei. Gratia autem
Dei ſum id quod ſum, & gratia eius in
me uacua non fuit: ſed abundantius illis
omnibus laboraui. Non autem ego, ſed
gratia Dei mecum. Siue enim ego, ſiue il-
li, ſic prædicamus, & ſic crediſtis. Ipſe B
autem ego Paulus obſecro uos, per man-
ſuetudinem & modeſtiam Chriſti, qui in
facie quidem humilis inter uos, abſens au-
tem confido in uobis. Rogo autem, ne
præſens audeam per eam confidentiam,
qua exiſtimor audere in quoſdam: qui ar-
bitrantur nos, tanquam ſecundum car-
nem ambulemus. Non audemus nos inſe-
rere aut cōparare quibuſdam, qui ſemet-
ipſos commendant. Sed & ipſi in nobis
noſmetipſos metientes, & comparantes
Gala. 1.b noſmetipſos nobis. Aut quæro homini- C
bus placere? Si adhuc hominibus place-
2.The.2.a rem, Chriſti ſeruus non eſſem. Neq; fui- D
mus

mus aliquando ab hominibus quærentes
E gloriam,&c. ut ſuprà. Fidelis ſermo,quia 1.tim. 1.d
Chriſtus uenit peccatores ſaluos facere:
quorum primus ego ſum , &c. ut ſuprà.
F Propter quod placeo mihi in infirmi- 2.Cor.12.c
tatibus, & cõtumeliis, in neceſsitatibus,in
perſecutionibus, in anguſtiis pro Chri-
ſto. Cùm enim infirmor,tunc potẽs ſum,
G Miniſtri Chriſti ſunt,& ego. Vt minus 2.Cor.11.c
ſapiens dico,plus ego. In laboribus pluri-
mis , in carceribus abundantius , in plagis
ſupra modum, in mortibus frequenter. A
Iudæis quinquies quadragenas , una mi-
nus,accepi. Ter uirgis cęſus ſum,ſemel la-
pidatus ſum. Ter naufragium feci Nocte
ac die in profundo maris fui. In itineribus
ſæpe, periculis fluminum, periculis latro-
num, periculis ex genere,periculis ex gen
tibus, periculis in ciuitate, periculis in ſo-
litudine,periculis in mari,periculis in fal-
ſis fratribus. In labore & ærumna,in uigi-
liis multis. In fame & ſiti, in ieiuniis mul-
tis, in frigore & nuditate. Præter illa quæ
extrinſecus ſunt inſtantia , mea quotidia-
na ſolicitudo omnium eccleſiarum. Quis
infirmatur , & ego non infirmor ? Quis
ſcandalizatur , & ego non uror ? Deus &
pater Domini noſtri IESV Chriſti ſcit,
qui eſt benedictus in ſecula , quòd non

O ment

mentior: Damaſci præpoſitus gentis Are-
tæ Regis cuſtodiebat ciuitatem Dama-
ſcenorum, ut me comprehenderet: & per
feneſtram ſubmiſſus ſum in ſporta per
Coloſ.1.d murum, & ſic effugi manus eius. Qui I
nunc gaudeo in paſsionibus pro uobis,
& adimpleo quæ deſunt paſsionum Chri-
ſti, in carne mea pro corpore eius, quod
2.tim.2.b eſt eccleſia. Ideo omnia ſuſtineo propter K
electos, ut & ipſi ſalutem conſequantur,
quæ eſt in Chriſto IESV, cum gloria cæ-
2.The.3.a leſti. Ideo nemo moueatur in tribulatio- L
nibus iſtis. Ipſi enim ſcitis, quòd in hoc
2.tim.1.a poſiti ſumus. Scis hoc, quòd auerſi ſunt M
à me omnes, qui in Aſia ſunt: ex quibus
2.tim.4.c eſt Philetus, & Hermogenes. Alexander N
ærarius multa mala mihi oſtendit. Red-
det illi Deus ſecundum opera eius. Quem
& tu deuita, ualde enim reſtitit uerbis no-
ſtris. In prima mea defenſione nemo mi-
hi affuit, ſed omnes me dereliquerunt:
non illis imputetur. Dominus autem mi-
hi aſtitit, & confortauit me, ut per me
prædicatio impleatur: & audiant omnes
gentes, quia liberatus ſum de ore leonis.
Liberauit autem me Dominus ab omni
opere malo, & ſaluum faciet in regnum
ſuum cæleſte. Cui gloria in ſecula ſeculo-
rum. Amen

De

De excellentia rectitudinis & synceritate Pauli apostoli.

CAPVT LXVIII.

A QVid uultis? In uirga ueniam ad uos, 1.Cor. 4.d
an in charitate, & spiritu mansue-
B tudinis? Ex synceritate, coram Deo, in 2.Cor. 2.d
C Christo loquimur. Incipimus iterũ nos- 2.Cor.3.a
metipsos commendare? Aut nunquid in-
digemus, sicut quidam, commendatitiis
D epistolis ad uos, aut ex uobis? Si quis 2.Co.10.b
confidit Christi se esse, hoc iterum cogi-
tet apud se: quia sicut ipse Christi est, ita
& nos. Nam & si amplius aliquid gloria-
tus fuero de potestate nostra, (quã dedit
Dominus nobis in ædificationem, & non
in destructionem) non erubescam. Vt au-
tem non existimer tanquam terrere uos
per epistolas. Quoniam quidem epistolæ,
inquiunt, graues sunt, præsentia autem
corporis infirma, & sermo cõtemptibilis.
Hoc cogitet, qui eiusmodi est: quia qua-
les sumus uerbo per epistolas absentes, ta-
E les & facto præsentes. Aut nunquid pecca- 2.Cor. 11.b
tum feci, meipsum humilians, ut uos exal-
tarem? Quoniam gratis Euangelium Dei
euangelizaui in uobis, alias ecclesias ex-
poliaui, accipiens stipendium ad ministe-
rium uestrum. Et cùm essem apud uos, &
egerẽ, nulli onerosus fui. Nam quod mi-

hi deerat, suppleuerunt fratres, qui uenerũt à Macedonia. Et in omnibus me uobis sine onere seruaui, & seruabo. Est ueritas Christi in me, quoniã hæc gloria non infringetur in me in regionibus Achaiæ. Quare? quia non diligo uos? Deus scit. Quod autẽ facio, & faciam: ut amputem occasionẽ eorum qui occasionẽ uolunt, ut in quo gloriantur, inueniantur sicut &
2.Co. 11.c nos. Quid enim est, quod minus habuistis F
præ cęteris ecclesiis, nisi quòd ego ipse nõ grauaui uos? Donate mihi hãc iniuriam. Sed esto, ego uos non grauaui, sed cùm essem astutus, dolo uos cepi. Nunquid per aliquem eorum, quos misi ad uos, circunueni uos? Rogaui Titum, & misi cum illo fratrem. Nunquid Titus circunuenit uos? Non'ne eodẽ spiritu ambulauimus? non'ne eisdem uestigiis? Olim putatis, quòd excusamus nos apud uos? Coram Deo in Christo loquimur. Ecce tertio hoc uenio ad uos. In ore duorũ aut trium
1.The.2.a testium, stat omne uerbum. Exhortatio G
enim nostra non de errore, neq; in dolo, neq; aliquando fuimus in sermone adulationum, &c. ut suprà.

De raptu, & uisionib⁹ beati Pauli Apostoli, & perfectione eius in omni uirtute. CAP. LXIX.

Ven

A VEniam autem ad uisiones, & reuelationes Domini. Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim, siue in corpore, siue extra corpus, nescio: Deus scit: raptum huiusmodi in tertiū cælum. Et scio, huiusmodi hominem, siue in corpore, siue extra corpus: nescio, Deus scit: quoniam raptus est in paradisum. Et audiuit arcana uerba, quæ non licet homini loqui. Pro huiusmodi gloriabor, pro me autem nihil, nisi in infirmitatibus meis. Nam & si uoluero gloriari, non ero insipiens: ueritatē enim dicam. Parco autem ne quis me existimet, super id quod uidet me, aut audit aliquid ex me. Factus sum insipiens, uos me coëgistis. Ego enim à *2.Co.12.a*
B uobis debui commendari. Scio humiliari, scio & abundare. Vbiq; & in omnibus institutus sum, & satiari, & esurire: & abūdare, & penuriam pati. Omnia possum in eo, qui me confortat. *Phili.4.c*

De multitudine misericordiarum Dei super Apostolum: actis exordii suę cōuersionis.

CAPVT LXX.

A GRatias Deo patri, qui me confortauit in Christo IESV Domino nostro: quia fidelem me existimauit, ponens in ministerio. Qui prius fui blasphemus, *1.Tim.1.c*

& persecutor,& contumeliosus. Sed ideo misericordia cōsecutus sum,quia ignorās feci, in incredulitate.Sed ideo misericordiam consecutus sum , ut in me primum ostēderet Christus IESVS omnē patientiam, ad informationē eorum, qui credi-
Gala.1.c turi sunt illi in uitam æternam. Audistis B
enim cōuersationem meam aliquando in Iudaismo, quoniam supra modum persequebar ecclesiam Dei , & expugnabam illam,& proficiebā in iudaismo super multos coætaneos in genere meo,abundātius æmulator existens paternarū mearū traditionum. Cùm autem placuit ei,qui me segregauit ex utero matris meæ, & uocauit per gratiam suam , ut reuelaret filium suum in me,ut Euangelizarē illum in gentibus:cōtinuò non acquieui carni & sanguini, neq; ueni Hierosolymam ad antecessores meos Apostolos.Sed abii in Arabiam, & iterum reuersus sum Damascum.
Gala.1.d Deinde post annos tres ueni Hieroso- C
lymā, uidere Petrum, & mansi apud eum quindecim diebus.Alium autem Apostolorum uidi neminē,nisi Iacôbum fratrem domini. Quæ aūt scribo uobis,ecce corā Deo,quia nō mētior.Deinde ueni in partes Syriæ & Ciliciæ Eram autem ignotus facie ecclesiis Iudææ,quæ erāt in Christo.

Tant

Tantum auditū habebant, quia qui persequebatur nos aliquando, nunc euāgelizat fidem, quam aliquando expugnabat:& in me clarificabāt Deū. Deinde post annos quatuordecim iterum ascendi Hierosolymam cum Barnaba, assūmpto & Tito.

Quàm humiliter pro se orari poposcerit Apostolus, suisq; discipulis. Et de aliis quibusdā actibus eius. CAP. LXXI.

A OBsecro uos fratres, per dominū nostrum IESVM Christū,& per charitatem spiritus sancti:ut solicitudinē mihi impartiamini in orationib9 pro me ad Deum, ut liberer ab infidelibus, qui sunt in Iudæa,& obsequii mei oblatio accepta fiat in Hierusalem à sanctis:ut ueniam ad uos cum gaudio per uoluntatē Dei,& re- *Rom. 15.g*
B frigerer uobiscum. Orantes pro me, ut detur mihi sermo in apertione oris mei, cum fiducia notū facere mysteriū Euangelii, pro quo legatione fungor in catena, ita ut in ipsa audeā prout oportet me *Ephe.6.c*
C loqui. Orate simul & pro nobis,ut Deus aperiat nobis ostiū sermonis, ad loquendum mysteriū Christi, propter quod etiā uinctus sum, ut manifestem illud,ut opor *Colos. 4.a*
D tet me loqui. De cætero fratres orate pro nobis,ut sermo Dei currat,& clarificetur: *1.thes.3.a*

ſicut & apud uos, & ut liberemur à malis
Heb. 13.d & importunis hominibus. Amplius au- E
tẽ deprecor uos hoc facere, quo celerior
reſtituar uobis. Cognoſcite fratrem no-
ſtrum Timótheum dimiſſum, cum quo ſi
1.Co.16.a celerius uenerit, uidebo uos. Veniã autem F
ad uos, cum Macedoniam pertranſiero.
Nam Macedoniam pertranſibo, apud uos
autem forſitan permanebo, aut etiã hye-
mabo, ut uos me ducatis quocunq; iero,
Nolo enim uos modo in tranſitu uidere.
Spero enim me aliquantulum temporis
manere apud uos, ſi dominus permiſerit.
Permanebo autem Epheſi uſq; Penteco-
ſten. Oſtium enim mihi apertum eſt ma-
gnum & euidens, & aduerſarii multi. De
Apollo autem fratre notum facio uobis,
quoniam multum rogaui eum, ut ueniret
ad uos cum fratribus, & utiq; nõ fuit uo-
luntas eius, ut nunc ueniret. Veniet autem
2. Cor.1.d cum uacuum ei fuerit. Ego autem teſtem G
inuoco Deũ in animam meam, quòd par-
cens uobis nõ ueni ultra Corinthũ. Non
quia dominamur fidei ueſtræ, ſed adiuto-
2.tim. 4.b res ſumus gaudii ueſtri. Feſtina ad me ue- H
nire cito, Demas enim me dereliquit, dili
gens hoc ſeculum. Et abiit Theſſaloni-
cam, Creſcens in Galatiam, Titus eſt in
Dalmatia, Lucas eſt mecũ ſolus. Marcum
aſſume

assume & adduc tecum. Est enim utilis mihi in ministeriũ. Tychicũ autem misi Ephesum. Penulã quam reliqui Troade apud Carpum, ueniens affer tecum, & libros, maximè autem membranas. Erastus remansit Corinthi. Trophimũ autẽ reliqui infirmũ Mileti. Festina ante hyemem
I uenire. Cum misero ad te Arthemam aut Tychicum, festina ad me uenire Nicopolim, ibi enim statui hyemare. *Titũ 3. d*

De personis salutãtibus, & salutatis in Epistolis eius. CAP. LXXII.

A SAlutate Priscam & Aquilam, adiutores meos in Christo IESV, qui pro anima mea ceruices suas supposuerũt, quibus non solùm ego gratias ago, sed & cunctæ ecclesiæ gẽtium. Et domesticam eorum ecclesiam. Salutate Epænetum dilectum mihi, qui est primitiuus Asiæ in Christo IESV. Salutate Mariã quæ multum laborauit in uobis. Salutate Andronicũ & Iuliã, cognatos & cõcaptiuos meos: qui sunt nobiles in Apostolis, qui & ante me fuerũt in Christo. Salutat uos Timotheus adiutor meus, & Lucius, & Iason, & Sosipater, cognati mei. Salutat uos Caius hospes meus, & uniuersæ ecclesiæ gẽtium *Rom. 16. a*
B Salutat uos Erastus, &c. Salutant uos omnes ecclesiæ Asiæ. Salutãt uos in domi- *1. Co. 16. d*

no multum Priscilla & Aquila, cum domestica sua ecclesia, apud quos & hospitor. Salutant uos fratres omnes. Salutatio
2. Co. 11. d mea manu Pauli, & cætera. Salutant uos C
Colos. 4. c omnes sancti. Salutat uos Epaphras. Te D
stimonium enim illi perhibeo, quòd habet multum laborē pro uobis, & pro his qui sunt Laodiceæ, & qui Hierapoli. Salutat uos Lucas medicus charissimus, & Demas. Salutate fratres, qui sunt Laodiceæ, & Nympham, & quæ in domo eius est ecclesiam. Salutate eos qui nos amāt in fide.
ad Phile Salutat te Epaphras concaptiuus meus E
mon. m. d in Christo IESV, Marcus, Aristarchus,
Col. ulti. b Demas, & Lucas adiutores mei. Salutat F
uos Aristarchus concaptiuus meus. Et Marcus consobrinus Barnabæ, de quo accepistis mandata: Si uenerit ad uos, suscipite illum. Et Iesus, qui dicitur Iustus, qui sunt ex circuncisione: hi soli sunt adiutores mei in regno Dei, qui mihi fuerant
Hebr. 13. d rant solatio. Salutate omnes præpositos G
uestros, & omnes sanctos. Salutant uos de
Phil. 4. d Italia fratres. Salutant uos omnes sancti, H
maximè autem, qui de Cæsaris domo
2. Thes. 3. d sunt. Salutatio mea manu Pauli, quod I
signum in omnibus epistolis, ita scribo: Gratia Domini nostri Iesu Christi cum omnibus uobis.

Laudat

Laudatio & glorificatio domini Dei omnipotẽtis. CAP. LXXIII.

A EI autem qui potens est uos cõfirma- Rom.16.d
re, iuxta Euangelium meum, & prædicationem IESV Christi, secundum reuelationem mysterii temporibus æternis taciti, quod nunc patefactum est per scripturas prophetarum, secundum præceptũ æterni Dei, ad obediendum fidei in cunctis gentibus: soli sapienti Deo per IESVM Christum, honor & gloria in secu-
B la seculorũ, Amen. Fidelis Deus, per quem 1. Cor.1.b
C uocati estis. Benedictus Deus & pater 2. Cor.1.a
domini nostri IESV Christi, pater misericordiarũ, & Deus totius consolationis.
D Dominus autem spiritus est: ubi autem
E spiritus Domini, ibi libertas. Ei autem, 2. Cor.3.d
qui potens est omnia facere superabun- Ephe.3.d
dãter, quàm petimus aut intelligimus, secundum uirtutem qua operatur in nobis: ipsi gloria in ecclesia et in Christo IESV, in omnes generationes seculi seculorum,
F Amen. Deo & patri nostro gloria in se- Phil.4.d
G cula seculorum. Regi autem seculorum, 1. tim.1.d
immortali, inuisibili, soli Deo honor &
H gloria in secula seculorum, Amen. Qui 1. tim.2.b
omnes homines uult saluos fieri, & ad agnitionem ueritatis uenire in Christo.
I Quem suis temporibus ostendet beatus 1. tim.4.e

& solus

& solus potens rex regũ, & dominus dominantium, qui solus habet immortalitatem & lucem habitat inaccessibilem: quẽ nullus hominũ uidit, sed nec uidere potest. Cui honor & imperium sempiternũ, Amen. Vnus Deus & pater omnium, qui est super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis. x

Ephe.4.b

FINIS.

INDEX LOCORVM PER QVOS DIGESTVM *est Epistolarum D. Pauli Monopanton.*

Christi

Fortit

FINIS.


calibrite
colorchecker CLASSIC
mm